

sarum revocari potest; item codicem Londinensem Lambethanum 481 saec. XIII in fol. 181^r—188^v. Nec dubito quin ne sic quidem totam materiem exhausserim: sed quae attuli satis demonstrant quanta auctoritate hoc magnum lexicon per plus quam quattuor saecula floruerit.

CAPVT XVII. DE DERIVATIONIBVS HVGVCIONIS PANORMIA OSBERNI CATHOLICO IOHANNIS IANVENSIS

§ 51. Inter magna litterarum et studiorum corpora, quibus viri eruditi saeculis duodecimo et tertio decimo doctrinam variam et omnigenam institutionis causa complexi sunt, tria lexica eminent certa quaedam necessitudine inter se iuncta: Panormia Osberni Glocestriensis, derivationes Hugucionis Pisani, catholicon Iohannis Ianuensis: de quorum librorum auctoritate et ratione ita tractabo, ut in Hugucionem primum se demittat disputatio, ab hoc ad Osbernum exurgat, descendat ad Iohannem.¹⁾

Martinus Hertz Prisciani praefationis p. XXXI Antonii Becariensis medici Ferrariensis carmen circa annum 1343 confectum commemorat de obitu qui perhibebatur Petrarchae, quo inter artes lugentes prima grammatica prodit eiusque comitum ordinem ducunt Priscianus et Hugucio: ex quibus versibus apparet talem tunc fuisse memoriam Hugucionis, ut grammaticae κατ' ἐξοχήν dux et signifer haberetur. Quamquam minime in grammatica sola auctoritas huius viri continetur, quippe quem etiam inter iureconsultos Bononienses egregium locum occupasse et praeceptorem Innocentii tertii existisse notum sit. Bononia anno 1190 discessit, ut Ferrariae episcopi dignitatem teneret usque ad annum fatalem, h. e. 1210. Nolo nunc de Summa in decretum Gratiani agere, qua nomen suum immortalitati commendavit (cf. velut v. Schulte 'die Geschichte der Quellen und Literatur des kanonischen Rechts I' p. 156 sqq.): quamquam novam viam non ingressus satis habuit quae ab aliis acceperat fideliter transcribere. Nec libellum de dubio accentu nunc curo, quem in derivationibus (cf. Thurot, Not. et Extr. XXII p. 559, Hamann 'Weitere Mitteil. aus dem Brevilocus Benthemianus.' Hamburg 1882 p. XIII, Haase de med. aevi stud. phil. p. 32) ita commemorat: *de 'quatenus' qualiter debeat proferri et litterari in libello qui intitulatur de dubio accentu distinximus, aut 'Rosarium' ibidem allatum (. . . consulat libellum a nobis compositum qui intitulatur rosarium)* aut quae praeterea persecutus est Berger (de glossariis et compendiis exegeticis quibusdam medii aevi Paris. 1879) p. XVII,

1) Dixi de his 'Berichte der phil.-hist. Kl. der Königl. S. Ges. d. W. a. 1903' p. 121 sqq.; ex eis quae ibi dixi nunc in multis pendeo.

sed omissis his omnibus ad librum derivationum aggrediar ingenti numero codicum propagatum; quorum nunc conspectum subiciam temporis ratione habita. Saeculi decimi tertii sunt codices Parisini bibl. nat. lat. 1) 7622 (de hoc libro optime disputavit A. Thomas in Romaniae tom. XXXIV p. 182 sqq.); 2) 14090; 3) 15462 (Sorb. 1152); 4) 16219 (Sorb. 905); 5) 16218 (Sorb. 1151); 6) 16217 (Sorb. 578); 7) 16678 (Sorb. 1573, anni 1298); 8) 17880 (Gr. Augustins 66, a. 1259); 9) 18521 (Jacobins S. Jacques 4); Rodomenses (Rouen) 10) 1023; 11) 1024; Atrebatenses 12) 234; 13) 496; Fani S. Michaelis (S. Mihiel) 14) 18; Trecensis 15) 531 (teste catalogo saec. XII/XIII; sed de saec. XII cogitari nequit); Autissiodorensis 16) 78 (a. 1263); Londinensis 17) Mus. Brit. Addit. 18380; Oxonienses 18) Canonic. 305 (a. 1262); 19) coll. Regin. 321; Leidensis 20) Voss. lat. fol. 12 (H—V); Patavini 21) bibl. S. Anton. 1; 22) 2; Caesenas 23) Plut. XXI 4; Florentini 24) S. Crucis Plut. XXVII 5; 25) S. Crucis Plut. XXVII 6; Vercellensis 26) bibl. capit. 177 CLXIII; Matritenses 27) bibl. nat. V 214 (Loewe-Hartel p. 450); 28) arch. hist. nat. LVI (Loewe-Hartel p. 528); Vindobonensis 29) 2339; Bernensis 30) 276 (Loewe Prodr. 244); Monacensis 31) 14056. — Saeculi decimi tertii vel quarti Montepessulanus 32) 302; Cantabrigiensis 33) coll. S. Petri O. 9.9; Parisinus 34) 'Arsén' 976. — Saeculi decimi quarti Parisini bibl. nat. 35) 7623; 36) 7624; 37) 7625; 38) 7625 A; 39) 7625 B; 40) 7625 C; 41) 7625 D; 42) 'Arsén' 712; S. Genovevae 43) 1548 X, 2; Rodomensis (Rouen) 44) 1025; Trecensis 45) 1075; Turonensis 46) 853; Carnotensis 47) 415; Montepessulanus 48) 327; Monacenses 49) 12269; 50) 16190; Londinenses 51) Addit. 8874 (mutilis); 52) Lambeth. 120; 53) Arundel. 515; Cantabrigiensis 54) 'Caius coll.' 459; 55) bibl. univ. F. f. V 34; Oxonienses 56) Laud. 69; 57) 'E museo' 96; 58) Laud. 626; 59) Balliol. 298; 60) colleg. Exon. 42; 61) colleg. Lincoln. B 37; Hannoveranus 62) bibl. reg. IV 498; Cassellani 63) 'Landesbibl.' ms. Philol. fol. 11; 64) fol. 12; Lubensis (Lüben) 65) bibl. eccles.; Stuttgardiensis 66) philol. 3 (a. 1383); Trevirensis 67) bibl. urb. 1126; Romani 68) cod. Chis. L VIII 289; 69) Palat. 1777; Mediolanensis 70) Ambros. A 50 inf.; Florentinus 71) S. Cruc. XXVII 1; Vratislaviensis 72) (cf. F. Haase de med. aev. stud. phil. p. 34 adn.); Vindobonensis 73) 1454; Matritensis 74) bibl. nat. A a 36 (Loewe-Hartel p. 364). — Saeculi decimi quinti Parisini bibl. nat. 75—77) 7626; 8175; 2338; 78) bibl. Mazar. 580; Londinenses 79) Arundel. 127; mus. Brit. 80) Addit. 27328; 81) Addit. 16585; 82) Lambeth. 80; Darmstadiensis 83) 717; Gedanensis 84) 255; Norimbergensis 85) in archivo urb.; Luneburgensis 86) bibl. urb.; Stuttgardiensis

87) poet. et philol. fol. 21; Paderbornensis 88) bibl. Theodor.; Mediolanensis 89) Ambros. C 82 inf.; Monacenses 90) 12297; 91) 14168; 92) 6728; 93) 3451; 94) 9680; 95) 19660; Vindobonensis 96) 5373; Maihingenses 97) II Lat. I fol. 8 (cf. Schepss 'Sechs Maihinger Handschriften' p. 24); 98) II Lat. I fol. 31 (excerpta continens: cf. Schepss l. s. s.); Oxoniensis 99) Canonic. misc. 201 (retractationem continens); incerti temporis Basileensis 100) F III 35; 101) folia Tremoniensia; 102) Sarisberiensis 144; 103) 'vocabularius latino-germanicus Hugwiconis' (commemoratur apud Diefenbachium praef. p. XIV). His nunc addo 104) codicem Stuttgardiensem 2; denique 105) et 106) ex catalogo Heinemanni codices Guelferbytanos 444 et 1593. — In quibusdam codicibus, ut in Parisinis 7622 et 7623 derivationibus index vocabulorum tractatorum praemittitur, quem 'Petrus de Alingio Gebenensis incola Ianuensis' composuit: *'quoniam difficile et laboriosum erat invenire quasdam dictiones tam simplices quam compositas in derivationibus Uguitionis contentas extra ordinem alphabeti Petrus de Alingio Gebenensis incola Ianuensis supra difficultatem illam et laborem hanc composuit tabulam in qua dictae dictiones et alphabetum et capitula in quibus ipse inveniuntur in dictis derivationibus continentur.'* Praeter hunc indicem etiam alii inveniuntur, velut in cod. Parisino lat. 7625 C. Ceterum librum inscriptum fuisse DERIVATIONES testatur, ut unum afferam exemplum, cod. Parisinus lat. 7622: *explicunt derivationes magistri Hugutionis Pisani.* Quas derivationes Loewe Prodr. p. 243 anno 1192 scriptas esse cum confirmat verum vix videtur dixisse. Verba enim chronici quibus utitur: *'Hugonatione Pisanus episcopus Ferrariensis agnoscitur, qui datus adiutor a sede apostolica abbati Nonantulano homini prodigo et indigno, ex libro Papiæ quod illic est, librum derivationum composuit'* (Murat. IX col. 246 teste Bergero p. 16), id unum potius demonstrant, Hugucionem librum Nonantulae confecisse, quo in monasterio annis 1197—1201 commoratus est; cf. Tiraboschi storia di Nonant. (Modenae 1784) p. 126, Bergero p. 16. Rectius igitur cum Bergero summatim anno fere 1200 derivationes prodisse putabimus.

Quid sibi Hugucio in magno hoc libro proposuerit, ipse in praefatione sermone tumido et illo tempore usitato professus est (verba exscripti ex codice Monacensi 14056 iam ab Hamanno adhibito, comparato cum codicibus Parisinis 14090 et 7622, quos libros F. Beck in meum usum contulit):

Cum nostri protoplausti suggestiva¹⁾ praevaricatione humanum genus

1) *suggestiva* cod. Monac.

a suae¹⁾ dignitatis culmine quam longe deciderit ac triplicis incommodi²⁾, scilicet indigentiae, vitii et ignorantiae, non modicam coartationem³⁾ sumpserit, triplex huic triplici incommodo nobis a deo suggeritur⁴⁾ remedium, scilicet commoditas, virtus et scientia. Nam indigentiae molestiam commoditas, vitii corruptionem virtus, ignorantiae caecitatem expellit scientia. Ad quam quidam longe accedentes panniculum⁵⁾ ab ea dirripiendo sibi totam nupsisse credentes et si quando eam in quadam parte possideant, more tamen bestiarum degentes non modo praedictam⁶⁾ triplicem miseriam aliqua⁷⁾ virtute non redimere, ut sic honestarum artium⁸⁾ exercitio ad pristinae decusationis relictum honorem aliquantulum valeant promoveri, sed etiam singulis diebus cumulare conantur, nec⁹⁾ dentium exstantias¹⁰⁾ elimare¹¹⁾ nec balbutientium linguarum vitiligines abraderi nec ingenii tarditatem excitare nec madidae memoriae aliquid commendare nec¹²⁾ obliviam corripere¹³⁾ vel negligentiam redarguere nec¹⁴⁾ maledicta punire nec sordes ac¹⁵⁾ vitia repellere¹⁶⁾, sed potius in vitiorum¹⁷⁾ volutabro¹⁸⁾ provoluti pec[c]uniam congerere¹⁹⁾ ac congestae inservire vel etiam honestis officiis omissis lacunam corporis ingurgitare nituntur, quorum doctrinam vitam mortemque iuxta²⁰⁾ extimandum²¹⁾ est. Nos vero altius procedentes, ne, si talentum a deo nobis concessum infoderemus, patenter furti argui²²⁾ possemus, quod naturae officio nobis²³⁾ denegabatur, per famam extendere laboravimus, ut universae carnis generalitas illam licet tenuem una cum corpore ne utiquam dissolveret. Opus igitur divina favente gratia componere statuvimus, in quo prae aliis vocabulorum significationum²⁴⁾ distinctiones, derivationum origines, ethimologiarum assignationes, interpretationum repe-

1) *sue* libri; ut etiam in eis quae secuntur e pro ae exstare solet, quod non notabimus.

2) *incomodi* libri ut porro, quod amplius non notabitur.

3) *cogitationem* cod. Monac. 4) *suggeritur* libri. 5) *paniculum* libri.

6) om. cod. Paris. 14090. 7) *a virtute* cod. Monac. 8) *actuum* cod. Monac.

9) *nam nec* cod. Paris. 14090. 10) *existencias* cod. Paris. 7622.

11) om. cod. Paris. 14090.

12) *aliquid commendare nec* om. cod. Paris. 7622, ubi m. 2 supplet in marg. *madide obliviam memoriae corripere* cod. Monac.

13) *ne vel corripere* cod. Paris. 14090. 14) *vel* cod. Paris. 7622.

15) *ac* cod. Paris. 7622 et 14090. *nec* cod. Monac.

16) *pellere* cod. Paris. 7622. 17) *initiorum* cod. Monac.

18) *in voluptatibus vitiorum* cod. Paris. 7622.

19) *congregare congerere* cod. Monac.

20) *iustu* cod. Monac. *vix* cod. Paris. 7622 (corr. m. 2).

21) *extimande* cod. Monac. Cf. Sallust. bell. Cat. II 8.

22) om. cod. Paris. 14090.

23) *nobis officio* cod. Monac. *beneficio nobis* codices Paris.

24) *vocabulorum sensus* Hamann; sed nihil deest.

rientur expositiones, quarum ignorantia latinitas naturaliter indiga quorundam¹⁾ doctorum pigritia non modicum coartatur. nec hoc tantum ut cenodoxiae vitream fragilitatem lucri faciamus, adimplere conabimur, quantum ut omnium scientiae litterarum invigilantium communis inde utilitas exflorescat. nec cuivis descendat in mentem, nos in hoc opere perfectionem insinuatim polliceri, cum nichil in humanis inventis ad unguem inveniat²⁾ expol[l]itum, licet aliis de hac eadem re³⁾ tractantibus quadam singulari perfectione haud⁴⁾ iniuria videri possimus excellere. nam hic parvulus suavius lactabitur, hic adultus uberius cibabitur, hic perfectus affluenti⁵⁾ delectabitur, hic gignosophistae triviales (!) hic didascali quadriviales, hic legum professores, hic theologiae perscrutatores, hic ecclesiarum proficient gubernatores, hic supplebitur, quicquid hactenus ex scientiae defectu praetermissum est, hic eliminabitur, quicquid a longo tempore male usurpatum est. Si quis quaerat huius operis quis auctor⁶⁾, dicendum est quod deus, si quaerat huius operis quis fuerit instrumentum, respondendum est, qui patria Pisanus, nomine Vgutio⁶⁾ quasi Eugetio, id est bona terra non tantum praesentibus sed etiam futuris, vel Vgutio: quasi Vigetio⁷⁾, id est virens⁸⁾ terra non solum sibi sed etiam aliis. Igitur Sancti Spiritus assistente gratia, ut, qui omnium bonorum⁹⁾ est distributor, nobis verborum¹⁰⁾ copiam auctim sup<p>editare dignetur, a verbo augmenti nostrae assertio¹⁰⁾ nis auspitium sortiamur.

Magniloquam hanc praefationem derivationes excipiunt ad litterarum ordinem in universum dispositae, quarum primam ad *Augeo* spectantem Hamann p. 5 edidit. Caput quod ad *Aula* pertinet iam Loewe Prodr. p. 244 proposuit, his alia quaedam capitula ex litteris QXZ Hamann p. VI sq. addidit. Ante utrumque iam Haase l. s. s. p. 33 ex codice Vratislaviensi specimen praebuerat perquam idoneum hoc: *Timo graece latine dicitur flos vel flores. Item a timo timinus a um i. e. floridus vel dulcis, suavis, et unde timinum dicitur mel suave et odoriferum, et hic timeus Platonis, quasi floridus vel quasi flosculus, quia ibi flosculi totius philosophiae comprehenduntur e. q. s. et in fine: timo quod est mens componitur cum ab et mutata b in u dicitur autumo, as, i. e. affirmare, putare e. q. s. Quibus excerptis aliud ex P littera addere liceat, quod in*

1) indiga quorundam] quadam cod. Paris. 14090.

2) inveniatur ad unguem cod. Paris. 7622.

3) materia cod. Paris. 7622.

4) aut codd. Parisini. ut cod. Monac. Hamann locum non intellexit.

5) auctor cod. Monac. actor cod. Paris. 7622. auctor operis quis om. cod. Paris. 14090.

6) uguicio cod. Paris. 7622. 7) ungutio quasi iugutio cod. Monac.

8) vires cod. Monac. 9) bonorum omnium cod. Paris. 7622.

10) illorum *** ā cod. Paris. 14090.

Monacensi codice quisquiliis omissis tale est: *Pin*¹⁾ *graece altum dicitur latine: unde haec pinna summa cuius libet rei, sed proprie templorum et murorum: unde etiam pinna dicitur, quod supereminet in dorso piscis, quod dicitur nottia (?)*. Et a *pinna* haec *pinnula* dicitur et *pinnosus*, a, um *altus et superbus vel laniosus et comparativus, unde pinnose, sius, sime adverbium et pinnositas altitudo vel superbia vel laniositas*. Item a *pinna* hoc *pinaculum* cuiuslibet domus vel templi fastigium, unde illud: *statuit eum super pinaculum templi, et saepe pro cuiuslibet rei fastigio ponitur*. *Pinna* componitur cum *rapio* et dicitur *pinnirapus*, *pi*, id est *gladiator qui rapiat pinnas, id est summitates gallearum ab evictis quasi collo insignum victoriae suspensa referebant; vel pinnirapus quasi penirapus quasi qui plumet aves vel qui rapit pennam de capite alterius*. Qui enim de velocitate se iactabant, pennam in capite ponebant insignum velocitatis; deinde si quis inveniretur velocior, rapiebat pennam de capite eius. *Iuvenalis: pinnirapi cultos iuvenes iuvenesque lanistae*. Item a *pin* haec *pinus, nus vel pinus, ni*, id est *arbor altissima vel pinus dicitur a penum quod est acutum vel ab acumine foliorum dicitur pinium aliā pini*. aliā *Graeci pecuniam vocant quam nos piceam dicimus, quia desudet picem: unde haec pinax, cis, pugillaris, effimeris, tabula manualis ex pino facta*. *Marcianus: caelatam ex ebena pinacem argenteis talibus asterebit*. Et *pinax* dicitur *tabula, in qua philosophi figuras faciunt in supposito pulvere et pineus a, um, et hoc pignetur, locus ubi pini crescunt*. Item a *pinus* haec *pix, cis, quia fit ex pino*. Haec a *Graecis* dicitur *colofonia* quem nos *rataelem (?)* dicere possumus, et inde *piceus, a, um, de pice existens vel ad picem pertinens vel niger et obscurus*. *Statius: picea nox obuia nībro, et haec picea quaedam arbor de cuius succo pix efficitur, et pico, as, pice aliquid linire vel obturare. et no<ta> quod pix alio nomine graece dicitur haec pissa, ae, unde secundum quosdam dicitur apud nos pix*. Et componitur cum *xeros* quod quasi *durum vel siccum, et dicitur haec pix xareta pix dura et sicca cum (sequitur lacuna) et dicitur pixager id est pix liquida*.

Ex his quae dedi derivationum exemplis quem rationis atque auctoritatis gradum teneat auctor facile cognoscet. Quam secutus est doctrinam etymologicam, fundamenta quidem habet in libris veterum grammaticorum, ut Prisciani et Papiae, sed in arte nesciendi explodenda adeo suo ingenio indulsit, ut vix inveniatur difficultas quam ille solvere se posse sit diffusus. Praeter derivationes quae proprie dicuntur per omnes fere litteras partes glossematicae dispersae sunt, in quibus sacrae scripturae et hebraicae linguae saepius rationem habitam esse non mirum videatur. Adiecti sunt non uno loco ampliores tractatus, ut

1) Cf. GR. L. Suppl. p. 242, 28.

in D littera post *Dia* copiosa de numeralibus latinis disputatio, cuius in fine versus de litteris pro numeralibus positus exstant, quos Loewe Prodr. p. 231 commemoravit (cf. p. 255 Mommsen GR. L. IV 330 et de versibus 'Sitzungsberichte' a. 1853 p. 94; pars etiam in cod. Leidensi Voss. lat. 4, 24 legitur); item sub *Baulat* voces animantium positae sunt, de quibus cf. quae supra p. 91 disserui. Inter glossas hic illic germanicae inveniuntur, ut *faida inimicitia*. Maioris momenti quam haec loci ex vetustis scriptoribus allati, ut ex Plauto, Horatio, Iuvenale, Ovidio, Persio, Statio, aliis essent, nisi eidem loci etiam in alio libro exstarent cum Hugucionis derivationibus summa necessitudine coniuncto, scilicet in Panormia Osberni Glocestriensis, qui vir doctus, si quidem recte iudicavit Guilelmus Meyer Mus. rhen. vol. XXIX (a. 1874) p. 179 sq., medio saeculo duodecimo, h. e. paulo ante Hugucionem floruit: de qua necessitudine diligenter inquireret qui de auctoritate Hugucionis certum iudicium proponere audebit.

§ 52. Osberni Panormiam igitur, ut a libris manuscriptis profiscatur disputatio, quam ex cod. Vaticano reg. Christinae 1392 editit Maius cum inscriptione 'Thesaurus novus Latinitatis', praeter codicem Vaticanum quattuor alii continent, quos Meyer l. s. s. p. 179 sq. indicavit, nempe 2) cod. Monacensis 17154 saec. XII (sine prologo et repetitionibus); 3) cod. Monacensis 14584 saec. XIII (eodem modo mutilatus); 4) cod. Altenburgensis (in Austria) saec. XIII; 5) cod. Vindobonensis 1312 saec. XIV. Tres alios addidit Loewe Prodr. p. 241 sq.: 6) cod. Erfurtensem in folio 43; 7) fragmentum ex littera I, quod Barthius Adv. XXVIII 19 habuit, post illum adhibuit O. Mueller in editione Festi; 8) fragmentum saeculi XIV, quod publici iuris fecit C. Hofmann ('Abhandlungen der Königl. Bayer. Akad.' 1870 p. 197—200). Post Loewium ex adnotationibus Gundermanni 'Sitzungsber. der Königl. S. Ges. d. W.' 1896 p. 79 hos libros protuli: 9) cod. Vaticanum reg. Christ. 1590 saec. XIII, A—E litteras plenas continentem (a *fulvo* in fol. 32^c contextus ad prologum I litterae transit, quae satis brevis est et repetitionibus caret; etiam in L deest repetitio, cetera plena esse videntur); 10) cod. Parisinum lat. 7621 saec. XIII (teste catalogo Alexandri de Villa Dei); in quo singula praefationis verba glossemata sua habent ex parte francogallica; praefationes et repetitiones non desunt; 11) cod. Parisinum 7492 saec. XIII cum praefationibus et repetitionibus (cf. Notices et Extr. XXII 2, 30); 12) cod. Turonensem 854 saec. XIII; 13) cod. Luxemburgensem 1294 saec. XIV (teste Baehrensio). Numerum librorum denuo auxi l. s. s. p. 134 codicibus his inventis: 14) cod. abb. S. Floriani XI 581, nunc bibliothecae Lincianae, quem diligentius tractare non possum (cf. Loewe

Prodr. p. XII); item 15) cod. Cheltenhamensi Phillippsiano 4681 saec. XIII exeuntis, qui p. 349 post Hieronymi explanationes in libros biblicos haec habet: *Dirivationes partium. a y littera i. e. incipientium. Artica dirivandi norma ratiocinante unus de assidentibus* e. q. s., h. e. prologum E litterae cum partibus ex E (ab Emo ad Exul); 16) codice S. Crucis (Heiligenkreuz) 804 saec. XII in fol. 1—86. Denique ex Steinmeyer volumine IV p. 502 hi libri accedunt: 17) ex bibliotheca Melcensi (Melk) K 51, qui codex inter multa alia finem Panormiae continet; 18) ex bibliotheca Cheltenhamensi Phillippsiana cod. 7087 in fol. 146^a—164^b; cf. idem ibidem p. 412. Quos libros in classes revocare conatus sum 'Sitzungsber. der Königl. S. Ges. d. W.' 1896 p. 79, quamvis subsidiis minime sufficientibus: quae nunc nolo repetere. Ibi- dem prologum primum cum glossematis proposui, quem hoc loco sub- icere placuit (ex codice Monacensi vetustiore 17154 addita discre- pantia editionis Maianae et alterius cod. Monac. 14584).

Cum in nocte hiemali multe lucubrationis¹⁾ pervigilio²⁾ plurimoque in lichnis depasto olivo usque ab conticinium³⁾ ferme nictitasset⁴⁾, in le- theum⁵⁾ tandem soporem squarroso⁶⁾ me lectisternio⁷⁾ utpote⁸⁾ perrara⁹⁾ farragine¹⁰⁾ hirtisque¹¹⁾ sagis¹²⁾ receptantibus¹³⁾ defetiscentes¹⁴⁾ artus con- quexi¹⁵⁾. Dumque oppiparo¹⁶⁾ praedulcis somni suavio¹⁷⁾ affatim¹⁸⁾ sagi- narer¹⁹⁾, ecce phalanga²⁰⁾ turmatim²¹⁾ subeuncium domate²²⁾ quo decum- bebam²³⁾ fragosa²⁴⁾ crepidarum²⁵⁾ plosione²⁶⁾ perstrepebat²⁷⁾. Quo ilicet²⁸⁾ experrectus²⁹⁾ crepitaculo³⁰⁾ semiulcos³¹⁾ meticulose³²⁾ retegens³³⁾ ocellos³⁴⁾ thoralque³⁵⁾ involucro³⁶⁾ prae vultu³⁷⁾ clanculo³⁸⁾ corrugatum³⁹⁾ obiectans⁴⁰⁾ exili⁴¹⁾ rimula quid rerum gereretur limis⁴²⁾ perspicabar⁴³⁾. Nec nox ea illi- mis⁴⁴⁾ nigellisque⁴⁵⁾ tenebrarum peplis⁴⁶⁾ obducta sed perlustri⁴⁷⁾ rutilantis⁴⁸⁾

Glossae: 1. i. lucerne (item Maius). || 2. i. vigiliis. || 3. i. gallicantu (gallici- nium Maius). || 4. vigilassem Maius. || 5. obluionem. || 6. squalido (item Maius). || 7. lecto. || 8. sicut. || 9. valde rara. || 10. i. stramine. || 11. hirsutis. || 12. linteolis. || 13. recipientibus. || 14. lassatos. || 15. caput inclinavi (item Maius). || 16. i. parum (item Maius). || 17. dulcedine. || 18. assidue (item Maius). || 19. dormire. || 20. cho- hors. || 21. perturnas. || 22. domo. || 23. iacebam. || 24. sonora. || 25. botes (item Maius). || 26. strepitu. || 27. sonabat. || 28. cito. || 29. excitatus. || 30. sonitu. || 31. dimidia aper- tius. || 32. pavide. || 33. aperiens. || 34. oculos. || 35. herilez ut vid. (orner Maius). || 36. involutione. || 37. ante vultum. || 38. clam. || 39. involutum. || 40. contra iaciens. || 41. parva. || 42. subtilis (item Maius). || 43. perspiciebam. || 44. obscura (obscuris Maius). || 45. nigris. || 46. umbris. || 47. claro. || 48. lucentis.

Discrepantia scripturae: 2. olivo depasto Maius. | usque ad 14584, Maius. | nictassem Maius. || 3. squarroso me lectisternio 14584, Maius (non satis certa sunt in 17154). || 4. conqueri Maius. || 5. oppiparo Maius. || 6. subeuntium 14584, Maius. || 7. fragorosa Maius. | plosde 17154. | plosione Maius. | ///licet. 14584. || 8. semiulcos Maius. || 9. toralque Maius. || 10. ea om. 14584. | illimis corr. in illunis 14584. || 11. praelustri Maius.

*cinthie coruscamine quae rimatim¹⁾ sese ingerebat perspicua²⁾. Quaedam igitur celtica³⁾ effecatique⁴⁾ speciminis⁵⁾ femina, quae grammatica uti⁶⁾ ab ipsa postmodo⁷⁾ percepi dicebatur, in praelibati⁸⁾ cunei⁹⁾ prima fronte reverenda maiestate incedens¹⁰⁾ leva quidem pinacem¹¹⁾ quam venustam¹²⁾ ex hebeno¹³⁾ bracteisque¹⁴⁾ aurulentis¹⁵⁾ artite¹⁶⁾ expolitam¹⁷⁾ sed dextera aliquantule¹⁸⁾ prolixitatis trinodem¹⁹⁾ gestabat corrigiam, ex qua scabra²⁰⁾ puberum²¹⁾ ingenia linguarumque vitiliginis²²⁾ levi sensim²³⁾ attricione²⁴⁾ purgabat. Dominam autem praeambulam²⁵⁾ vates gravastelli²⁶⁾ cignino²⁷⁾ capillitio²⁸⁾ candidantes²⁹⁾ penulasque³⁰⁾ latiales³¹⁾ indusiati³²⁾ pedibus
 10 quam decenter³³⁾ coturnatis³⁴⁾ comi³⁵⁾ processu³⁶⁾ assectabantur³⁷⁾. Quo-
 rum sodalitio³⁸⁾ cirrati³⁹⁾ pubete⁴⁰⁾ dicacula⁴¹⁾ disertitudine⁴²⁾ facundati⁴³⁾
 stipatim⁴⁴⁾ admiscebantur, qui se ab ipsis tenelle⁴⁵⁾ infantiae crepundiis⁴⁶⁾
 in autenticis⁴⁷⁾ matris gramatice assidelis⁴⁸⁾ ubertim⁴⁹⁾ alumpnatos⁵⁰⁾ pro-
 fitebantur; alii manibus ad volas⁵¹⁾ percellendas⁵²⁾ ferulas⁵³⁾ orbiculatas⁵⁴⁾,
 15 alii vero ad tergora⁵⁵⁾ sulcanda⁵⁶⁾ vibices⁵⁷⁾ acerrimas praetendebant, ut
 liquidis⁵⁸⁾ clareret⁵⁹⁾ evidentiis⁶⁰⁾ pedagogali⁶¹⁾ eos excellentia⁶²⁾ esse de-
 cusatos⁶³⁾. Nec mora virago⁶⁴⁾ memorata gemmatum⁶⁵⁾ conscendit sug-
 gestum⁶⁶⁾, quem ex populari⁶⁷⁾ eius famulitio⁶⁸⁾ due praeministre me con-*

Glossae: 1. *per rimas* (item Maius). || 2. *lucida*. || 3. *auctorabilis* (item Maius). || 4. *perfecti* (item Maius). || 5. *pulchritudinis* (item Maius). || 6. *sicut*. || 7. *postea*. || 8. *ante dicti* (*praedicti* Maius). || 9. *chohortis*. || 10. *ambulans*. || 11. *depinu*. || 12. *one-
ratam*. || 13. *illo ligno*. || 14. *lance*. || 15. *aurei*. || 16. *ingeniose* (item Maius). || 17. *orna-
tam*. || 18. *aliquantum magne*. || 19. *trium odororum*. || 20. *pigra* (item Maius). || 21. *purorum*. || 22. *impedimenta* (item Maius). || 23. *paulatim*. || 24. *verberatu* (item
 Maius). || 25. *ante cedentem*. || 26. *gravis* (*graves* Maius). || 27. *albo* (item Maius). || 28. *cesarie*. || 29. *albentes*. || 30. *camisias* (item Maius). || 31. *latinas* Maius. || 32. *in-
duti* (item Maius). || 33. *pulchre*. || 34. *calciatis*. || 35. *faceto*. || 36. *incessu*. || 37. *seque-
bantur*. || 38. *societate*. || 39. *crinici* (*artati* Maius). || 40. *pueri*/// (*pueri* Maius). || 41. *loquaci* (item Maius). || 42. *facu*. || 43. *facundi facti* (*facundificam* Maius). || 44. *dense* (item Maius). || 45. *tenere*. || 46. *incrementis*. || 47. *auctorabilibus* (item
 Maius). || 48. *seriis* (*sociis* Maius). || 49. *fecunde*. || 50. *nutritos* (item Maius). || 51. *pal-
mas*. || 52. *feriendas* (*verberandas* Maius). || 53. *palmerias* (*lalmonas* Maius). || 54. *ro-
tundas*. || 55. *tergo*. || 56. *vulneranda*. || 57. *virgas* (item Maius). || 58. *claris*. || 59. *pa-
reret*. || 60. *signis*. || 61. *magistrali* (item Maius). || 62. *auctoretate* (*-itate* Maius). || 63. *honoratos* (item Maius). || 64. *gramatica*. || 65. *lucidum*. || 66. *sedem*. || 67. *vili*
 (item Maius). || 68. *societate* (item Maius).

Discrepantia scripturae: 1. *cithie* 14584. *Cynthiae* Maius. | *quae om.* Maius. || 2. *efficatique* Maius. | *quaeque grammatica* Maius. || 3. *postmodum* 14584. || 5. *brac-
theisque* 14584. || 6. *aliquantille* 14584, Maius. || 7. *vitiliginis* Maius. | *attricione*
 14584. *attritione* Maius. || 8. *autem* quoque. | *cygnino* Maius. || 9. *capillitio* 14584.
capellitio Maius. | *laciales* 14584, Maius. | *induciati* Maius. || 11. *pube et ce sup.*
 scr. 14584. *pubecae* Maius. | *diacula* Maius. | *fecundati* 14584 (et a sup. e). *fa-
cundatam* Maius. || 12. *admiscebantur* (s s. scr.) 14584. || 13. *alumpnatos* (es ex nos
 corr.) 14584. || 16. *decusiatos* (i s. s.) 14584. *decusiatos* Maius. || 18. *famulicio* 14584.
famulatio Maius.

spicante¹⁾ in loco ediciori²⁾ praestruxerant gravique auctoritate manu protensa residendi cunctis allubentiam³⁾ indixit⁴⁾ et ipsa pariter cum eis assedit. Videns humi cleostarum⁵⁾ oculos mediocricule⁶⁾ obstipos⁷⁾ auresque ad audiendum accommodas⁸⁾ inpendio⁹⁾ dum quid rerum gestiat¹⁰⁾ imperatrix sua conscionando¹¹⁾ promulget¹²⁾. Tunc illa: 'Grammatica, inquit, dicor; nostis, commilitones¹³⁾, qui meis incuriis, meis estis rudimentis¹⁴⁾ adprime nutriti¹⁵⁾ eo quod gramme lineae et gramata littere nuncupentur mihique sit indultum¹⁶⁾ literarum formas propriis ductibus lineare, a priscis quidem viris triviatim¹⁷⁾ concelebrata speciali praerogativa¹⁸⁾, reliquis vernantius¹⁹⁾ sororibus per orbis climata²⁰⁾ efflorebam. Nunc autem 10 inter huiusce temporis stirpitus²¹⁾ repudiata²²⁾ mortales publicitus²³⁾ ab omnibus floccipendor, quia qui me pernosse desudet²⁴⁾ vix inter tot milia vel unum reperies. Vbi, quod plorabunda²⁵⁾ deploro, sub hac tempestate²⁶⁾ litteratus? ubi partibus latialibus²⁷⁾ affluenter²⁸⁾ inbutus? Nonne prodigi omnes aleones²⁹⁾, pernoces³⁰⁾ attibernales³¹⁾ iuges³²⁾ lenociniorum³³⁾ sunt 15 mancipes³⁴⁾, ardentius³⁵⁾ diludia³⁶⁾ quam gymnasium³⁷⁾, affectuosius³⁸⁾ enerve³⁹⁾ otium quam egregie⁴⁰⁾ indolis⁴¹⁾ colunt exercitium? Me fronte pervicaci⁴²⁾ tamquam gerroneam⁴³⁾ naucipendentes⁴⁴⁾ perexiles⁴⁵⁾ tantum de induviis⁴⁶⁾ netus⁴⁷⁾ tediose sumpsere pertusasque⁴⁸⁾ eas ac dilancinatas⁴⁹⁾, me autem spretam omnino liquere. Quoniam igitur adeo desipis- 20 centes⁵⁰⁾, adeo inertici⁵¹⁾ esse approbantur, ne per delumbem⁵²⁾ eorumdem

Glossae: 1. *vidente*. || 2. *altiori*. || 3. *licenciam* (item Maius). || 4. *dedit*. || 5. *magistrorum* (item Maius). || 6. *mediocriter*. || 7. *inclinatos* (item Maius). || 8. *accommodatas*. || 9. *adrente inpendiose* (i. a. Maius). || 10. *cupiat* (item Maius). || 11. *canendo*. || 12. *manifestet*. || 13. *militēs*. || 14. *doctrinis*. || 15. *nutriti*. || 16. *promissum*. || 17. *publice* (item Maius). || 18. *dignitate*. || 19. *pulchrius* (*pulcrius* Maius). || 20. *partes*. || 21. *omnino* (item Maius). || 22. *spretā*. || 23. *communiter*. || 24. *laboret*. || 25. *flebiles*. || 26. *tempore*. || 27. *latinis* (item Maius). || 28. *copiose*. || 29. *livores alorum* (*lusores* Maius). || 30. *vigiles*. || 31. *potatores taberne* (*potatores* Maius). || 32. *assidui*. || 33. *lectorum* (*lecacitatum* Maius). || 34. *famuli*. || 35. *libentius*. || 36. *ludicra*. || 37. *studium* (item Maius). || 38. *maiori affectu*. || 39. *debile*. || 40. *nobilis*. || 41. *iuventutis*. || 42. *improba*. || 43. *inutilem* (item Maius). || 44. *spernentes*. || 45. *parvos*. || 46. *vestibus* (*de vestibus* Maius). || 47. *fila* (item Maius). || 48. *foraminatas* (item Maius). || 49. *depannatas* (item Maius). || 50. *desipientes*. || 51. *inertes* (item Maius). || 52. *debilem* (item Maius).

Discrepantia scripturae: 3. *Videres* 15584. | *cleonatarum* Maius. | *ocellos* Maius. | *medio circulo* 14584. | *obstippos* Maius. || 4. *inpendio* *accommodas* Maius. || 5. *concionando* 14584, Maius. || 6. *qui mecum in curiis* Maius. | *meis om.* Maius. || 7. *adprime* Maius. | *grammee* 14584. | *littere* | *lineae* cod. Mai. || 8. *mihī quod* Maius. | *litterarum* 14584, Maius. || 9. *celebrata* Maius. || 11. *huiuscemodi* Maius. || 12. *floccipendorum* 14584. | *tot om.* 14584. || 13. *Vbique* 14584. || 15. *omnes prodigi* Maius. | *alecones* Maius. | *attabernales* Maius. || 16. *gymnasium* Maius. || 17. *anerve ocium* Maius. || 18. *t///n* 14584. || 19. *nezus* 14584. || 21. *probantur* 14584.

scientiam abolear¹⁾, in hac volo conscione²⁾ partes latinas normaliter³⁾ et digestim⁴⁾ propalare⁵⁾, quo dumtaxat⁶⁾ intellectu⁷⁾ acceptas vel ex qua derivandi scaturigine⁸⁾ esse constat elicitas⁹⁾. Quas tandem per singulos alphabeti¹³⁾ apices¹¹⁾ serio¹²⁾ et enucleatim¹³⁾ enodatas¹⁴⁾ cuiusdam mei sequestri¹⁵⁾ — ad me autem oculo connivente¹⁶⁾ adnutabat¹⁷⁾ — famelicis¹⁸⁾ memorie faucibus libet instillare¹⁹⁾, quatinus isto scientie meae opulentiam²⁰⁾ socordibus²¹⁾ illis effusim²²⁾ eventilante²³⁾ me necdum ad plenum animadvertant²⁴⁾ agnovisse. Quam quia ex parte agnoverunt, iam totam sibi diripuisse opinantur²⁵⁾. Assertionem²⁶⁾ quoque meam veterum et modernorum exemplis, quos in hoc dogmate²⁷⁾ fama vulgaris²⁸⁾ praechues²⁹⁾ asseverat, libet astipulare³⁰⁾, non quod sanctionem³¹⁾ meam discipulorum sit necesse suppetiis³²⁾ fulciri³³⁾, sed ut auctoritatem habeant in manu, qui ignotam sibi dictionem quamquam aliis tritam vix sine auctoritate recipiunt. Huic imperatricis epilogo³⁴⁾ omnes confestim³⁵⁾ allubescences³⁶⁾ sapide³⁷⁾ et consulte deliberatum esse acclamabant piumque laborem residibus³⁸⁾ ob inscitiam iuvenculis potissimum profuturum³⁹⁾. Nec mora domina lacernam⁴⁰⁾ quam induciabatur⁴¹⁾ praedivite⁴²⁾ murice fuccatam⁴³⁾, auroso⁴⁴⁾ etiam spinterculo⁴⁵⁾ quam decenter⁴⁶⁾ nodatam⁴⁷⁾, quo ad loquendum esset paratior⁴⁸⁾, effibulabat⁴⁹⁾ brachiolisque strictim venustissimis⁵⁰⁾ supparis⁵¹⁾ ambitis⁵²⁾ per patulam⁵³⁾ ipsius palle portam porrectis talia rotatili⁵⁴⁾ sermone verba

Glossae: 1. delear. || 2. cantu. || 3. regulariter (item Maius). || 4. regulariter et divisim Maius. || 5. manifestare. || 6. tantummodo. || 7. significatione Maius. || 8. origine. || 9. derivatas. || 10. abecedarii. || 11. litteras. || 12. ordine (item Maius). || 13. aperte. || 14. expositas. || 15. socii (item Maius). || 16. favente. || 17. inclinabat. || 18. famulentis (item Maius). || 19. infundere. || 20. copiam. || 21. stultis. || 22. prolize. || 23. exponentem. || 24. percipiant. || 25. putant. || 26. affirmationem. || 27. doctrina (item Maius). || 28. communis. || 29. nobiles famosos. || 30. confirmare (item Maius). || 31. affirmationem. || 32. auxiliis. || 33. corroborari. || 34. prologo (item Maius). || 35. consentienter. || 36. faventes (item Maius). || 37. sapienter (item Maius). || 38. pigris. || 39. valituum. || 40. clamide. || 41. induebatur. || 42. valde divite. || 43. nutritam. || 44. aureo. || 45. firmaculo (item Maius). || 46. convenienter. || 47. nodatam. || 48. promptior. || 49. extra fibulam ponebat (item Maius). || 50. pulchris. || 51. rebrachiatoriis (-tariis Maius). || 52. circuitis (item Maius). || 53. latam. || 54. volubili (item Maius).

Discrepantia scripturae: 1. abholear scientiam Maius. | concione 14584, con-
tione Maius. || 2. digestim (ex-tam corr.) 14584. digressim Maius. | dirivandi Maius. ||
3. singulos (in -as corr.) 14584 | alphabeti Maius. || 7. eventilantē 14584. | nedum
Maius. || 8. agnovisse animadvertant Maius. | Quam quia] q̄ q̄ qui (omnia praeter
primam q̄ in ras.) 14584 || 9. cognoverunt 14584 || 10. exemplis (i ex a corr.) 14584,
om. Maius. || 12. <testimonio> astipulare Maius. || 14. in manu habeant Maius. ||
16. epilogo//o (i erasa) 14584. | consensim Maius. || 17. residibus laborem 14584.
| ab 14584. || 19. lacerna// (m erasa) 14584. | qua Maius. || 20. murite 14584. | fulca-
tam (l ex c corr.) 14584, fuccatam Maius. | et 14584, Maius. | spintherculo Maius.

dictabat: 'Gnotescendum¹⁾ est inprimis partes latiales²⁾ aliquando secundum litteram tantum, aliquando secundum sensum tantum, aliquando autem et secundum literam et sensum, nonnumquam vero per antifrasi³⁾ aut per sincopam derivari, super quibus superfluum duxi modo in praesentiarum exempla apponere, quia in derivando necesse est eadem sepius applicare⁴⁾. Nunc autem quia de prima littera primitus est disserendum, animadvertendum est eam .a. nuncupari (ad illius equipollentiam)⁵⁾ quam mater instante iam partu gravidante⁶⁾ querulose⁷⁾ depromit, quam et sub hiatu vocis congruo⁸⁾, ut ait Marcianus noster, solo spiritu per palatum exprimimus. Ab hoc itaque verbo, quod est amo, inchoare disposui.' Cumque paulum ocellis in humerum defixis obticuisset, sic tandem cepit ex alto.

Glossae: 1. manifestum (manifestandum Maius) est. || 2. latinas. || 3. per contrarium (item Maius). || 4. apponere. || 5. equivalentiam (aequivalentiam Maius). || 6. gravi. || 7. questuose (item Maius). || 8. convenienti.

Discrepantia scripturae: 1. innotescendum Maius. | laciales 14584, Maius. || 2. et om. 14584, Maius | litteram 14584, Maius. | antifrasi 14584. antiphra^{sin} Maius. || 4. syncopam Maius. | dirivari Maius. | duxi superfluum 14584. | modo om. Maius. || 5. dirivando Maius. | replicare Maius. || 6. quia s. scr. 14584. || 7. ad illius equipollentiam (et equivalentiam s. scr.) quam mater inter nuncupari et instante (ubi ante rasuram quam fuit) s. v. scr. 14584; ubi ad illius vocis aequipollentiam edidit Maius. || 8. eam partu Maius. partu iam 14584. || 10. Ab hoc — disposui om. 14584. | paululum Maius. || 11. humeris corr. ex humum 14584. humum Maius.

En habes novum specimen glossematicae latinitatis, quam supra p. 70 attigimus, diligentius infra persequemur, ad exemplum sermonis quem Martianus Capella excoluit effectum, quem etiam in singulis quibusdam sententiis imitatus est, ornatum verbis raris et ex parte obscuris, scilicet ex glossariis aliquot velut ex Paulo desumptis (cf. *attibernalis, gravastellus, gnotescendum*, alia). Quam praefationem derivationes excipiunt, ut in A *Amo, Arceo, Alo, Aqua, Amicio, Acuo, Annus, Acer, Ango, Animus, Arguo, Algeo, Audio, Aro, Aurum, Aveo, Albeo, Astrum, Areo, Ater, Aula, Arbor, Archos, Armus, Anclo, Augeo, Am, Ago, Alea, Ardeo, Ager, Apostolus, Alius, Alter, Ambulo, Alvus, Altus, Agnus, Assis, Auxilior, Amnis, Amarus, Adra, Aptus, Apes, Adulor, Afros, Asper, Aper, Ancilla, Apex, Arvum, Amplus, Argilla, Adipiscor, Arbitror, Acer, Ace, Alapa, Ambo, Ador, Astutus, Angelus, Ambrosia, Auster, Anglia (!), Abhominor*; secuntur post alterum 'prologum' REPETITIONES quae dicuntur, h. e. glossae ex Derivationibus excerptae, quibus aliunde admixta inveniuntur, quae in Derivationibus frustra quaesiveris (cf. haec prologi verba: *verum quoniam saepenumero partes per scripturarum campos graves et obscurae minusque derivatae reperiuntur, invat easdem quascunque per primam inchoantem litteram serialim seorsum re-*

ponere); velut haud raro synonyma occurrunt. Derivationibus ipsis etymologiae et testimonia interposita sunt ex diversis fontibus hausta. Extremae litterarum partes magis quam reliquae derivandi studio indulgent, velut sic: *Bruteo, es, ui, verb. neutr. et caret supino; inde brutus, a, um i. stolidus, insulsus; et brutesco, cis, quod componitur obrutesco, et deprutesco, is. Similiter et bruteo componitur obruteo, et depruteo. Tales derivationes nudae multae inveniuntur; ceterae auctae sunt doctrina omnigena delibata velut ex Paulo, Prisciano, Isidoro, Martiano Capella, Macrobio, auctoribus ecclesiasticis, inprimis vero testimoniis modo ex vetustioribus grammaticis defloratis, modo ex ipsis scriptoribus et poetis collectis, velut ex octo prioribus fabulis Plauti, ex Terentio, Vergilio, Iuvenale. In omnibus autem tanta inter Osbernum et Hugucionem deprehenditur similitudo, ut aut alterum ex altero aut utrumque ex eodem fonte communi hausisse dicas. Quam similitudinem iam Loewe Prodr. p. 244 sqq. luculento exemplo illustratam ita explicare maluit, ut 'utrumque cum eodem fonte usum esse, tum ab ipsis collecta addidisse' censeret. Certe improbable illud est Osbernum ab Hugucione pendere (quae est opinio Haasii l. s. s. p. 34), siquidem recte Meyer illum medio saeculo duodecimo floruisse coniecit. Quodsi Loewe Hugucionem ab Osberno pendere negavit, id is tantum certum esse dicet, qui Hugucionem aut de suo aut ex alio fonte nihil addidisse affirmabit. At quis hoc affirmare audebit? Immo de suo addidisse videtur derivationes non paucas, quas ex ratione instituta et sua doctrina abusus facile confingere potuit; aliunde adiecit testimonia quaedam non nimis multa et tractatus quosdam maiores, quales iam attigimus. Ut aperte profitear quae mea sit sententia: mihi etsi minime certum, tamen improbable non videtur Hugucionem illas partes similes ex Osberno excerpisse.¹⁾ Quod ita se habere posse ut putarem, hae et similes ratiocinationes me moverunt: 1) Si quae exstant apud Hugucionem, desunt apud Osbernum, nondum certum est, in codice meliore Osberni eadem defuisse. Etenim libri manuscripti Osberni magnopere inter se discrepant, cum alii aliis modo plura modo pauciora exhibeant. Ita verba, quae Maius ex codice Vaticano edidit, velut ex codice Amploniano (cf. Oehler 'Neue Jahrb. Supplem. XIII a. 1847 p. 252 sqq.), item ex aliis libris (cf. Meyer l. s. s. p. 182) corrigi possunt. Fieri igitur potest, ut etiam Hugucio pleniori exemplari usus sit. 2. Hugucio multo severiorem ordinem quam Osbernus secutus est, cuius ordinis sine dubio ipse auctor pu-*

1) Hanc quaestionem ne plane aut plene expedirem, offecit exemplarium ut Osberni ita Hugucionis simul inspiciendorum et inter se comparandorum difficultas et recensio-
num differentia.

tandus erit; unde apparet si communis fons subesse creditur, Osbernus ad illum multo propius accedere quam Hugucionem; quin tam arto vinculo cum illo fonte coniunctus esse videretur Osbernus, ut mira esset illa magniloquentia et sui confidentia, quam non uno loco ostendit. 3) Constat Osbernus ipsum Pauli epitoma usum esse et maiores ordines glossarum etsi raro prorsus immutatarum repetitionibus inprimis intexuisse, ut p. 56; nec minus constat partem harum glossarum in repetitionibus positarum etiam apud Hugucionem etsi dispersam inveniri. — Quae omnia qui secum reputaverit, non improbabile esse iudicabit Hugucionem multa Osberno debere, sed libera ratione modo adiecissemus quaedam modo abiecissemus, modo contraxissemus et vario consilio retractassemus itemque ex aliis fontibus auxissemus. Sed ut hoc est — nam confidenter iudicare non audeo —, certe vix erit cur his reliquiis maiorem dignitatem tribuamus, nisi quod tractatus illi maiores qui exstant non neglegendi videntur.

In chronico quod supra p. 192 commemoravi leguntur haec: '*ex libro Papiæ qui illic (h. e. Nonantulae) est librum derivationum composuit*' (scil. Hugucio). Quibus de verbis merito Loewe Prodr. p. 244 dubitationem movit propter ipsam illam necessitudinem quae inter Hugucionem et Osbernus intercedit, ut quae minime ex Papiæ repeti possit. Quamquam illa verba non prorsus abicienda esse existimo; nam Hugucionem elementarium Papiæ inspexisse et in derivationibus suis adhibuisse nullo modo negari potest. Cuius rei documenta quaedam subicere liceat. 1. P. 572 Osberni haec sunt: *Tucetum cibus qui fit ex carniū concissione, sicut est anduilla (= andouille)*. Paene idem est apud Hugucionem, nisi quod pro *sicut est anduilla* exhibet: *sicut est salticia*. Apud Papiam est in exemplari impresso: *Tuceta escæ regiae, salticinae* (ex *salcitiae* corruptum): unde pendere putaverim Hugucionem. — 2. Osbernus p. 352 habet: *haec monedula, æ .i. avis quaedam quæ alio modo causa (= gazza) dicitur, unde Plautus: dic me anaticulam, columbam, vel catellum, hirundinem vel monedulam*. Pro his Hugucio: *haec monedula, inquit, est quaedam avis quæ vulgo dicitur taccula (italice) quasi monetula, quia si aliquam monetam invenit aufert et occultat. Plautus e. q. s. Cf. haec apud Papiam: monedula avis quaedam quasi monetula dicta, quia cum aurum invenit tollit et occultat*. — 3. Osbernus p. 99 praebebat: *cadus pro vase quod gallice dicitur baril*; Hugucio: *cadus dicitur pro vase quod vulgo dicitur barile* (forma italica) *et ut dicunt continet tres urnas*. Additamentum legitur apud Papiam (*tres urnas capit*). — 4. In loco supra allato de *Pin* verba mira *pinnosus . . . superbus vel laniosus et comparativus, unde pinnose . . . et pinnositas altitudo vel superbia laniositas* ex Papiæ pendent: qui cum exhibeat *pinnosus raptor*

laniosus dolosus corde, facile *laniositas* fingi potuit. Etiam quae de *pinus* adiecta sunt, ex *Papia* fluxerunt. — 5. Locus de *gigno* ex pluribus *Osberni* particulis contaminatus est, nempe *geminus*, *germen*, *ignis*; quod quo modo fieri potuerit, disces ex his verbis *Papiae*: *ignis dictus, quod nihil gigni possit ex eo*. — 6. In glossa '*Augustus*' apud *Hamannum* allata additamentum quod est de *Augustus* apud *Papiam* legitur. — Haec et alia multa, in quibus idem observari licet, ne de mero casu aut alia ratione explicandi cogites, impedire existimo.

Ad illustrandam necessitudinem qua *Osbernus* et *Hugucio* continentur alia quaedam exempla profero. P. 10 haec sunt apud *Osbernum*: *hic alietus, ti, .i. avis quae gallice vocatur smerillum, unde Ovidius e. q. s., apud Hugucionem haec: alietus, ti, lo smerreio unde Ovidius e. q. s., ubi hic habet formam in Italia superiore usitatam, ille gallicam*. P. 66 *Osbernus* exhibet: *bigens, tis, .i. ille qui ex duabus gentibus natus, sicut ex patre Franco et matre Anglica* (*Anglum* esse auctorem *Maius* monet); *Hugucio*: *bigens, tis, .i. ille qui ex duabus gentibus est natus sicut ex patre Tusco et matre Franca*. *Hugucionem* esse *Pisanum* supra exposui; eum saepius res suas respexisse ex his verbis professoris *Bononiensis* discas: *scolares Bononiae conducunt hospitia, Bononienses (bōno cod. Monac., pro quo Littré hist. de Fr. XXII p. 10 in suo libro invenit burgenses) locant*. Adde p. 314 *Osberni*: *libum, bi, .i. placenta quod gallice dicitur wastellus (wastel teste Cloetta Galliae orientalis est pro gastel = gâteau)*; *Hugucio* contra exhibet: *libum, bi, pannis immolativus, scilicet qui sanctificatur et offertur; alio nomine dicitur placenta, gallice castel*. Sed iam satis de hac quaestione me dixisse arbitror, pergo nunc ad *Panormiae* fontes accuratius definiendos.¹⁾

Derivationes etiam in aliis collectionibus exstant, velut in codice *Lipsiensi* quodam saec. XIV (*Ratsbibl.* II 8. 154) teste *Loewio* (*Prodr.* p. 247 sq.) in fol. 12^r—28^v: *Incipiunt derivationes optime. Sic dīc primo de anima. Anima est prime posicionis. et componitur exanimis. semianimis. et secundum quosdam compositum est anima ex a quod est sine. et mene quod interpretatur sanguis et dicitur anima sine sanguine. A litterae lemmatum ordo sic currit: anima. hec auris. alius. amo. ago. aveo. ardeo. arceo. areo. alo. audeo. augeo. albeo. annus. hec avis. hic anus. hec ales. adversus. amplius. acuo. aptus. arguo. ater. arbor. aro. amarus. algeo. austerus cet. E scriptorum locis quales non adeo multi excitantur (fol. 15^r 'Ovi-*

1) Eiusdem stirpis cuius sunt repetitiones *Osberni* glossulae esse videntur, quas cod. *Bernensis* 519 saec. XIV (p. 435 catalogi) continet: modo vetustissimae sunt et cum *Paulo* aliisque fontibus optimis coniunctae, modo recentissimas formas habent ac vulgares, admixtis interdum interpretamentis gallicis et saxoniciis. Permultae glossae plane conspirant, quamvis ordo discrepet.

dius in VI'; f. 19^r 'ita Priscianus asserit'; f. 21^v 'Terentius ineu-
tont') non pauci apud Osbernum desunt. Hic illic vulgares voces (ve-
lut *grangia* et *glelo*) proferuntur in hunc modum: 'quod vulgus voca-
tur'. Derivationes ad AMO spectantes cum Osberno comparatae (cf.
Loewe Prodr. p. 248) magnam similitudinem ostendunt. Litteras con-
tinet codex Lipsiensis A—M. — Persimilia exhibet quamvis in sin-
gulis rebus discrepantia codex Maihingensis, de quo Schepss (Pro-
gramm der K. Lateinschule Dinkelsbühl 1879) p. 23 disputat, quem
conferre iubeo. Nec diversus est in universum cod. Londinensis Arund.
281 saec. XIII, cuius initium cum Lipsiensi libro conspirat, nisi quod
inposicionis habet et *neme greco quod est sanguis*. Omnium autem libro-
rum huius generis qui mihi innotuerunt quidem vetustissimus est codex
Stuttgardiensis¹⁾ bibl. publ. reg. Q 56 saeculi duodecimi, quem
ipse Ienae inspicere potui; is plenior est Lipsiensi et Arundeliano,
sed ut in fine quaedam deesse videantur; ultimum lemma est *Video*. Com-
parationis causa aliquot locos exscribo: *Aptus ta tum tior simus, apte
tius sime adverbia et aptitudo dinis et apto tas vi verbum activum, quod
componitur adapto coapto tas et aptus componitur ineptus ta tum tior si-
mus, a quo ineptia ē et ineptio ineptis verbum activum = Mai. p. 37:
Aptus, a, um; comparatur aptior aptissimus; unde apte, aptius, aptissime
adv. et haec aptitudo, is, et apto, as, v. a. quod componitur coapto, as, et
praeapto, as et ab istis verbalia. Aptus componitur ineptus, a, um, quod
comparatur ineptior, ineptissimus; inde inepte, ineptissime adv. et haec in-
eptia ae; unde haec ineptiola, ae diminutivum; unde et inepto as verbum
activum -i infatuare. Quae si comparaveris, leviter tantum discrepare
invenies; Osbernus paulo verbosior est; quod adfert inepto ineptas,
male confixit. Alterum exemplum hoc est: *Amo as vi tum tu verbum
activum. Inde verbalia (-lis cod.) hic et haec amabilis et hoc amabile
amabilior simus. Item ab amo amasco cis amasius sia sium amicus ca,
componitur (scr. comparatur) amicior simus, a quo amicicia cie et amicor
caris verbum deponens, et componitur amicus inimicus ca cum, a quo ini-
micicia cie et inimicor ris. Item ab amo per adiectionem (in ras. e corr.)
r -i amor, amaror sus † amorsus. sa sum et componitur amo adamo re
(deamo cod. Lips.).* Quibuscum si contuleris Osberniana haec (p. 6):*

1) Eiusdem aetatis est codex lat. Monacensis 19411, de quo Ludovicus
Traube 'Arch. f. Lexicogr.' VI p. 264 paucis disputavit; cuius libri in fol. 55^v
haec leguntur: *de istis autem differentiis quidam aliter sentiunt. Sed tamen se-
riatē positē* (del. Traube) *in glossis magistri Stephani reperiuntur.* Quem Ste-
phanum intra annos 1080—1150 vixisse dicit Traube. Hunc codicem cum
ipse non inspexerim, de ratione qua cum aliis derivationibus cohaereat nihil ad-
firmare audeo. In multis eum congruere cum Hugucione et Osberno testis
est Traube.

Amo *amas* *amavi* *amatum* *verbum activum. inde hic amator, ris; unde amatorius, a, um et hic amatorculus, li, diminutivum, id est parvus amator. Vnde Plautus in Poenulo vix, inquit, aegreque amatorculos invenitis, mus. Et haec amatrix cis; unde haec amatrixcula, lae, et hic et hoc amans, quod comparatur amantior, amantissimus; unde amanter, amantius, amantissime, adverbia. Item ab amo, amatus, a, tum; unde amantim adverbium id est amanter; et hic et haec amabilis, et hoc amabile; unde amabiliter adverbium; et componitur inamabilis, et hic amasius, unde Plautus in Cassia: miserum hodie ego hunc habeo amasium e. q. s., similitudine contineri maxima vix negabis, nisi quod multo plenior est Osbernus et glossematis testimoniisque ex Plauto, Prudentio, Augustino, Prisciano, Persio est ornatus et aliquot ineptiis deformatus. Quam similitudinem cur explicare non ausus sit Loewe, facile intellegas, cum recentiora tantum exemplaria novisset saeculi XIV: nos altius penetrare conantes certe non derivationes ex Osberno ducemus, immo Osbernum talem collectionem, qualem duodecimo saeculo iam exstitisse scimus, pro fundamento habuisse, auxisse, suis inventis interpolasse, condecoravisse testimoniis certe multo probabilius esse existimabimus. Haec ipsa autem collectio medium quendam locum inter Papiam et Osbernum tenet et ex parte stirpis est Priscianae. Ad hanc autem quam tractavi recensionem prope accedit illa, cuius in commentatione de Papias scripta (Sitzungsber. der K. Bayr. Ak. d. W. 1903 p. 281) mentionem feci, nota mihi ex tribus codicibus Monacensibus 17151, 17153, 17194 saeculi duodecimi; quae collectio bifariam est divisa, scilicet in *expositiones* et *derivationes*. Pars glossematica peculiaria quaedam continet¹⁾, quamquam graviora in ea exstare non videntur, quoad ex excerptis a Loewio relictis mihi iudicare licuit. In derivationibus testimonia exstant aliquot ex Plauto, Terentio, Ovidio, Iuvenale, Persio desumpta, pleraque eadem quae in cod. Stuttgardiensis leguntur. In universum tamen observavi Osbernum ab his derivationibus longius*

1) Expositiones quae dicuntur triplicis generis sunt: aut exhibent glossas hebraicolatinas, aut graecolatinas aut latinolatinas. Ab his quas tertio loco posui pendet horum librorum in rebus glossographicis auctoritas. Excerptis Loewe aliquot glossas (ex cod. 17151): *Antica anterior pars corporis. Arvales fratres pueri qui pro arvis sacrificabant. Agrippa qui cum dolore nascitur. Indugredior ingredior. Indusio orno vel induo. Instrico defendo. Menica membranula cerebri. Muncus qui de naribus fluit. Meracus purus. Mucculentus mucco infectus*. Glossas theodiscas inde edidit Docen (Aretins Beitr. zur Gesch. und Literatur, München 1806) p. 288 sq. Expositiones, non derivationes etiam cod. Laurentianus 16,5 saec. XII continet, quem descripsit Steindler IV p. 430 sq. Ceterum similia codicem Vindobonensem 894 saec. XII habere ex Goldmanni excerptis perspexi.

abesse quam a Stuttgardiensibus. Velut p. 407 Osbernus habet: *hic partus quod componitur hic parmeus, ei, .i. partus means*. Idem est apud Hugucionem. Pro quo in cod. Stuttgardiensi sic est: *hic partumeus .i. per partum means*; in Monacensi 17153: *parturiens .i. per partum means*. *Parturiens* falsum est; nam *parturio* subinde sequitur. Illud *Partumeus* corruptum est ex *Pactumeius* (ita libri meliores; *partumeius* alii) Hor. Epo. XVII 50; quod cum transisset in *Partumeus*, male explicatum est *per partum means*, a *Partumeus* (non a *Parturiens*) pendet *Parmeus* Osberni, quod Hugucio fideliter transcripsit. Sed haec hactenus; fortasse alii hanc quaestionem maiore evidentia profligabunt.

Praeter derivationes quae pro fundamento sunt Panormiae multa Paulum contribuisse iam supra monui: cuius epitome ut saepissime ita licentissime exscripta est. Propono aliquot exempla propter hanc vel illam rem notabilia. 1 (p. 27 = 49^a): *autarium cibus qui mensae vacuatae superadditur* (= Paul. p. 14): *auctarium dicebant antiqui quod super mensuram vel pondus iustum adiciebatur*; ubi ridiculo modo erravit Osbernus. — 2 (p. 133 = 147^b): *crebrifurus .i. locus crebro habens fures* (= Paul. p. 59: *crebrisuro apud Ennium significat crebris suris, id est palis, munitum*). — 3 (p. 410): *hispedicosus a verme quodam hispedicosis, unde quidam: hispedicosis ubi me vidit caput abscondit, pedem contraxit* (= Paul. p. 211: *pedes dicuntur quos diminutive dicimus pediculos. Ab his pedicosi appellantur, ut est illud: pedicosus, squalidus ubi me vidit, caput scabit, pedes legit*). Qui haec excerpserit, *pēdes* et *pēdes* confudit, animal male confinxit, testimonium pessime corrumpit. Cf. Osbernus p. 481^b. — 4 (p. 366^a): *mattici homines malarum artium* (= Paul. p. 126: *mattici cognominantur homines malarum magnarum*). — 5 (p. 398): *offendices nodi quibus libri signantur* (= Paul. p. 204: *offendices dicebant ligaturae nodos quibus apex retinebatur*). *Apex* pro *scriptura* accepit Osbernus; cf. Thes. gl. sub h. v. — 6 (p. 470^b): *pila etiam vocatur effigies hominum in compitis posita* (= Paul. p. 239: *pilae et effigies viriles et muliebres ex lana Compitalibus suspendebantur in compitis e. q. s.* — 7 (p. 490): *rava .i. vox rauca* (= Paul. p. 283: *rava vox rauca et parum liquida*). Osbernus 'rava' pro substantivo accepit. — 8 (p. 620): *antiqui dicebant . . . vefabam .i. parvam fabam* (= Paul. p. 379: *vegrandem fabam minutam dicebant*). Quae octo exempla certo quodam consilio electa esse facile cognosces. Multis quidem locis Osbernus quae invenit simpliciter transcripsit, multis tradita auxit contraxit mutavit ridiculis erroribus admissis. Vbi Paulus verbum finitum habet, Osbernus saepe infinitivos praefert; pro casu aliquo nominativus, pro plurali singularis ponitur; non semel verba synonyma exstant, ut p. 241^b (*fresus*) con-

cussa pro *fracta* (Paul. p. 91); p. 261^b (*grallator*) pro *saltator* est *cursor* ex testimonio nimirum (Paul. p. 97); p. 132 (*crucium*) *tormentum quodlibet* pro *quod cruciat* (Paul. 53). Vbi plures significationes habet Paulus, unam aliquam elegit Osbernus; saepius diversa interpretamenta contaminantur, velut p. 54 et 452: *appluda sorbitiuncula ex paleis facta* ex his: *genus paleae frumenti . . . sunt qui sorbitionis putent genus* (Paul. p. 10). Non semel loci scriptorum allati decurtantur; aliquoties ex aliis fontibus augentur et suppleantur, velut p. 254. 262: *unde Plautus in Epidico: quae est haec muliercula et ille gravastellus qui advenit*, pro quibus Paulus p. 96: *Plautus: qui est gravastellus qui advenit*, scilicet ex codice octo priorum fabularum. P. 353 = 364^b nomen Catonis recte positum est, cum apud Paulum p. 155 sit: *ipse qui supra*; diligentia igitur solito maiore utitur Osbernus. Quamquam nomina saepe errores ostendunt, ut *Ennius* exstat p. 131 pro *Naevius* (Paul. p. 58), *Caecilius* p. 360^a pro *Ennius* (Paul. p. 123), *Plautus* p. 372. 376 (*adnictitare*) pro *Naevius* (Paul. p. 29): quales errores levitati Osborni tribues, non fonti. Nec tales desunt loci ubi Osbernus explosis eis quae apud Paulum invenit alia, etiam sua etyma praetulit, velut p. 128: *cercopa .i. certator et dicitur cercopa quasi certans copiose*, pro quibus prorsus alia exhibet Paulus p. 56. Ab hac etymologica sapientia audacter eo progressus est, ut nova vocabula confingeret; velut ex Pauli p. 224 (*Promulco agi dicitur navis, cum scaphae ducitur fune*) p. 481^b fecit *Promulcus funis cum quo navis ducitur*; inde *promulgare navim ducere*; item ex Pauli p. 279 (*Remulco est cum scaphae remis navis magna trahitur*) haec p. 505^b: *remulcare navem ducere, unde et remulcus .i. funis cum quo navis ducitur*. Neque *promulgare* neque *remulcare* ceteroquin inveniuntur. P. 607 sunt haec: *vesticeps pis .i. iuvenis qui barbam iam habere incipit et componitur investiceps . . . qui etiam investis dicitur*; ex *vesticeps* igitur et *investis* excogitavit *investiceps*. P. 366^a habet *madulfus* pro *madulsa* (Paul. p. 126); p. 517 ex *petilam suram* significat *ungulam equi albam* (Paul. p. 204) elicit p. 403^a *petulus equus qui albos habet pedes*; p. 517 quod est apud Paulum p. 203 in testimonio *sacerdotula* interpretatur '*sacerdotis filia*'. Saepius Osbernus ordines integros vel paene integros Pauli ante oculos habuisse iam p. 203 adnotavi, unde constare videtur aut ipsum Paulum aut certe glossarium ex Paulo derivatum ei praesto fuisse. Quod quamquam ita se habet, tamen si vera sunt quae exposui, subsidia critica Pauli nullum ex his fructum capere posse satis apparere existimo.

Praeter Paulum etiam Priscianum saepissime exscriptum esse ab Osberno nemo mirabitur, qui quanta floruerit auctoritate hic grammaticus apud doctos medii aevi reputaverit. Ipsum autem Priscianum

adissee Osbernum, non ex glossariis Priscianeis hausisse (ut e Bern. 243) inde concludemus, quod septem locis, siquidem recte Maius testatur, nomen illius grammatici diserte apponitur. Quamquam noli putare, paucis quibusdam locis contineri excerpta Priscianeae; immo frequentissima exempla inde translata esse hisce credes testimoniis certo consilio compositis: 1 (p. 407): *puellus iuuenis: unde Plautus in Lenonibus: dolet hic puellus sese circumduci* (GR. L. II p. 231, 21). — 2 (p. 119): *caruncula . . . unde Varro: quivis potius homo quam caruncula nostra est*. Cf. GR. L. II p. 209, 3 (ubi est: *Varro in Andabata*; saepius autem tituli sunt omissi). — 3 (p. 116): *citer . . . pro interior . . . ut Cato: citer, inquit, agnus erit alligatus ad sacra*. Cf. GR. L. II p. 85, 5: *Cato de agna pascenda: citer ager alligatus ad sacra erit: ubi ager ex titulo falso in agnus correctum est*. — 4 (p. 274): *holerare: unde Caecilius: meum, inquit, hortulum plus holero quam stercoro*. Cf. GR. L. II p. 274, 25: *Gn. Mattius: meos hortulos plus stercoro quam holero; quem locum p. 394 iterum adfert Osbernus: olero-i. olera plantare: unde quidam poeta: meos hortulos plus olero quam stercoro* (cf. etiam p. 518). — 5 (p. 416): *pinsa . . . sacella cum qua pasta maceratur, unde quidam poeta: neque pinsis pinsui neque palatis molui* (v. p. 469^a). Cf. GR. L. II p. 535, 20: *pinso pinsui facit praeteritum, quod Probus usu Pomponii comprobatur: neque malis molui neque palatis pinsui*. Quomodo Osbernus illud *pinsa* excogitaverit, non satis liquet, nisi contaminationem factam esse sumimus. — 6 (p. 305): *pellicio is -i desipere et facit praeteritum pellexi vel pellicui, unde Livius: quaequam te mulier Lydio fulgens ornatu et gratia pellicuit* (v. p. 416). Cf. GR. L. II p. 496, 27: *pellicui quoque pro pellexi veteres protulerunt. Laevius in Laodamia: aut nunc quaequam alia te illo Asiatico ornatu affluens aut Sardiano ac Lydio fulgens decore et gratia pellicuit*. Osbernus non modo contraxit, sed etiam quaedam mutavit. — 7 (p. 178^a): *delitor qui aliquem occidit. Accius: fictor scelerum, fratris deditur delitor*. Cf. p. 301: *Perlino is, quod aliquando dicitur pro occidere, et inde hic perlitor, ris -i occisor, unde Accius: fictor scelerum, fratris perlitor*. Pro fundamento est GR. L. II p. 490, 15: *Accius in Atreo: Epularum fictor, scelerum fratris delitor*. Ribbeck in ed. maiore Osberno nimiam fidem tribuit. — 8 (p. 86): *occano, unde Sallustius: iussu Metelli Celeris cornicines occanuere tubis*. Cf. GR. L. II p. 529, 5: *iussu Metelli cornicines occanuere*. Vbi *tubis* et *Celeris* aliunde addidit Osbernus, nisi ipse finxit. — 9 (p. 389): *hae aborigines num -i superfluae quaedam frutices, quae non naturaliter, sed vitiose in arboribus vel etiam in campis oriuntur; unde Cato: ager, inquit, quem Volci habuerunt plenus aboriginum fuit; et dicuntur aborigines quasi seorsum ab origine* (cf. p. 54^a: *aborigines arbutus non plantata, sed sponte crescens. Cato: ager*

quod Volsci habuerunt aboriginum plenus fuit). Cf. GR. L. II p. 182, 7: idem (i. Cato) in *I Originum: agrum quem Volsci habuerunt campestris plerus Aboriginum fuit*. Pro plerus scripsit Osbernus cum cod. R plenus, coniunxit hoc cum *Aboriginum*, aborigines interpretatur per herbas steriles campi. — 10. Quae exempla qui consideraverit, non dubitabit quibusdam locis de contaminatione cogitare, velut his (p. 332): hoc momentum, ti, eo quod cito etiam transitu moveatur; . . . Inveni quoque hoc momen, nis, pro momento, unde Ennius: vestro sine momine venti. Cf. Hugucio, cuius verba in Ind. Ien. 1885/86 et in 'Mélanges Boissier' p. 225 exscripsi. Quodsi verba Osborni pro fragmento Enniano circumferuntur, nunc certe improbo. Paulus p. 140 exhibet: *Momine momento*. *Lucretius: momine si parvo possint elementa moveri*; haec autem Priscianus GR. L. II p. 126, 7: *nunc numen . . . unde Virgilius: meo sine numine venti i. e. sine meo nutu* (cf. Aen. I 133). Osbernus legit *momine* pro *numine*, nomen scriptoris, ut saepe, mutavit, pro *meo* metricis rationibus obsecutus *vestro* posuit. Itaque delendum hoc fragmentum hodie quidem existimo.

Nunc demum fieri poterit, ut de aliis quibusdam 'fragmentis' rectius iudicemus quam ipsi olim et alii fecimus. Osbernus p. 332 exhibet: *moveo . . . et hic momarsiculus, li, i. stultus qui cito movetur ad iram, unde Plautus: quid tu o momarsicule homo praesumis?* Cf. p. 360: *momarsiculus qui cito movetur ad iram*. *Plautus: quid ais momarsicule homo?* (Maius Plauti verba omisit.) Quae verba tam certa putata sunt, ut et aliis et mihi maiorem vim habere viderentur (cf. maiorem Plauti editionem nostram p. 169 fragmentorum; ibidem etiam Hugucionis verba exscripsimus). Nunc non dubito quin fictum sit hoc 'fragmentum' ex Pauli verbis (p. 140) hisce: *Momar Siculi stultum appellant*; unde Osbernus fecit 'momarsicule', quem vocativum qui videtur interpretatus est interrogatione ficta, derivavit autem *m* pro *v* positum esse arbitratus (ut *primilegium* pro *privilegium* et alia multa similia) a *movendo* et *ardendo* (*movetur ad iram*), denique Plauto tribuit, cui plurima verba rara et pulchra debuit.

Huic loco graviori alia testimonia adiungo, quibus maiorem fidem tribui posse negaverim. Apud Osbernum est p. 313: *lusto ille qui vagus est et nihil agit nisi fora lustrat, unde Naevius de quodam: vagus, inquit, est et lusto*. Cf. Paulus p. 29, 5: *aleonem aleatorem*. *Naevius: pessimorum pessime, audax, ganeo, lusto, aleo*. Testimonium quod ad *aleo* adhibuit firmandum Paulus eadem ratione ad *lusto* transtulit Osbernus glossemate (*lusto vagus est*) cum testimonio contaminato. Similis condicio est horum verborum (p. 372): *nicto . . . unde Caecilius de quodam cane: bene, inquit, nictit holetque*. Cf. Paul. p. 176: *Nictit canis . . . En-*

nus: nare sagaci sensit voce sua nictit ululatque; ubi inquit solito more adiectum est, Caecilius positum pro Ennius; bene pro eo quod est nare sagaci illatum. Osbernus p. 175: depuire verberare. Naevius: depuit me miseram ad necem, unde Ribbeck fragmentum recepit per se haud absurdum. Fluxit hoc 'fragmentum' ex Paul. p. 70: Depuere caedere. Lucilius: palmisque misellam depuivit me, id est verberavit me, quod ipsum ex graeco, ἀπὸ τοῦ παλεῖν: ubi miseram ex misellam Lucilii desumptum est; ad verberare pro caedere cf. Paulus p. 191 oppuuiat verberat; ad necem perspicuitatis causa additum est. Itaque ne hoc quidem 'fragmentum' dignum est quod inter genuinas reliquias ponatur. Quae si recte disputavi, de priscis testimoniis Osborni actum est: aut enim ex Paulo aut ex Prisciano petita sunt: nisi quod quidam Plauti et Terentii loci restant, qui ex ipsis scriptoribus, non ex illo fonte fluxerunt.*

Quod ad locos Plautinos attinet, ex octo prioribus fabulis quae media aetate solae fuerunt notae excerpti sunt. Codex quo usus est Osbernus sat prope ad I musei Britannici accedit; cf. Goetz, Anal. Plant. p. 80 adn. 13. Velut inde fluxit catalogus artificum qui in Aulularia enumerantur (cf. p. 176). Ex tali libro Osbernus ipse quae rei suae inservire videbantur mutuatus est; ad rem criticam autem Plauti ex his testimoniis tumultuaria opera et magna licentia ex libro deteriore excerptis nulla auctoritas adscribenda erit. Idem de locis Terentianis valet: quorum pars ex grammaticis propagata nobis notis, pars maior ex codicibus petita est: quae testimonia nihil ad verba emendanda conferre iam Umpfenbach perspexit. Nec maiorem fructum ex hac farra-gine Horatius, Vergilius, Ovidius, Iuvenalis, Persius, Statius, Lucanus capient, quae testimonia ex parte certe iam in Derivationibus invenit Osbernus, aut Martianus Capella et Macrobius non raro diserte excitati, aut denique Ambrosius, Sidonius, Prudentius, Iosephus, Hieronymus cum vulgata, Macer (*de virtutibus herbarum*), alii. Quaecumque testimonia examinavi, inutilia esse vidi, de aliis desperavi. Verba singularia quae hic auctor habet raro fidem invenient; longe plurima sunt suspecta vel aperte falsa.

In numero fontium quos nondum tractavi etiam Isidorus est, ex cuius Originibus permulta transcripta sunt. Saepe ipse Osbernus hoc indicavit verbis usus '*secundum Isidorum*' vel similibus; sed multo plura sunt quae sine tali additamento profert. Velut in repetitionibus non semel maiores ordines ex Isidoro compilati sunt, ut p. 174 quae de navi eiusque partibus exponuntur (Orig. XIX), p. 276 de *vermibus* eorumque generibus (Orig. XII 5), p. 262 de *vasculis* (Orig. XX 5, 6 cum additamentis aliunde assutis). Ne haec quidem Osbernum diligen-

ter tractavisse dixeris, velut in eo capite quod de *furiis* est: de quibus p. 210 satis recte disputavit Isidorum simpliciter secutus; in repetitionibus autem (p. 240^b) maiorem doctrinam ut ostenderet, ex Orig. VIII 11, 97 quaedam adiecit, unde talia evaserunt: *furiae eo quod feriant, quae pluribus modis dicuntur: nam hamadryades sunt furiae fontium, Oreades montium, Maiades (?) camporum, Dryades silvarum, Naiades maris, quae et Nereides dicuntur, Eumenides inferni*. Saepius suum ipsius ingenium ostendere temptat, ut p. 320, ubi sic est: *hic lardus, di, eo quod igne consumatur*, secundum Isidorum, ut opinor (XX 2, 24): *lardum eo quod in domo repositum conservatur; nam antiqui domos lares dicebant*. Cum autem Osbernus modo haec scripsisset: *lar pro domo, quod etiam pro igne dicitur, pro domo intulit igne*, scilicet quia in suo exemplari *consumatur pro conservatur* aut legit per errorem aut invenit. Tali modo saepissime male adscitus est Isidorus, quod semper notare inutile sit.

Haec autem Isidori excerpta ansam dederunt coniecturae qua Osbernus librum glossarum ante oculos habuisse putatur. Quae supra exposui diligenter qui legerit, non habebit, cur, ut exemplo utar, fragmentum Ennianum in quo *agea* exstat (492·Vahl.) ex libro glossarum potius quam ex Isidoro derivet. Quodsi Loewe Prodr. p. 240 dicit Osbernus (et Hugucionem) aliqua ex parte ad librum glossarum redire, ipse ('Der Liber gloss.' p. 256) hoc demonstrare cur difficile sit significavi. Nam si loci afferuntur, ut (p. 79^b) *bissumare bis transire = bis innare bis transire* (ubi cod. Bern. habet *bissinare*) et (p. 366^b) *machil tunica talaris et hiacynthina tota = machil quod est tunica talaris tota iaquintina habens ad pedes septuaginta duo tintinabula totidemque intermixta ac dependentia punica mala*, respondendum erit etiam Papiam habere formam decurtatam (*machil est tunica talaris tota hiacynthina*); itaque potius de glossario aliquo ex libro glossarum pendente cogitandum erit, qualia etiamnunc exstare exposuimus. Si quis tamen contendere mallet ex ipso libro glossarum talia fluxisse, diceres evidentiora vestigia expectanda fuisse. Nec 'glossae nominum' quae sunt apud Osbernus, ut p. 140^b *Cerealium i domus ubi panes inciduntur et administratio paratur* (cf. Thes. gl. s. *Cerearium*) et *Calculosus infirmitatem habens quae calculum dicitur* (cf. ibidem), demonstrare possunt librum glossarum inspectum esse, cum tales glossae dudum viam in alia glossaria invenissent (cf. t. II p. XLIV). Glossaria autem Osbernus etiam aliis locis adhibuit, velut multae glossae inde ab 'Abactor' p. 59 ad glossaria merito revocandae sunt; sed si modo vestigia apertiora quae esse videntur te deprehendisse credideris, haec rursus paulo post funditus delentur. Certa et aperta vestigia ipsius libri glossarum exstare nondum quisquam demonstravit. Multa quae cum libro glossarum con-

spirant ex Isidoro hausta sunt, cuius infinitum locorum numerum in librum glossarum transisse supra docuimus.

Ad alios fontes ut pergam, etiam Macrobius non raro usurpatum esse constat, cuius nomen plus septuaginta locis invenitur. Ex Macrobio certe, ut unum exemplum afferam, genera pirorum et pomorum p. 196 allata fluxerunt (Sat. III 19, 2), quamquam interpretamenta aut de suo aut ex alio fonte adiecit Osbernus. Per multa testimonia ex Martiani Capellae libro medio aevo famosissimo desumpta sunt, ad quem quanto Osbernus studio se etiam in praefationibus adiunxit notum est. His adde Hieronymum, interpretes librorum biblicorum, Prudentium, Rhabanum, Vitas sanctorum aliquot, scriptores alios quosdam aut ab ipso exscriptos aut ex fontibus aliis translato, quibus usus est, ut sibi doctrinae summae speciem tribueret: sed haec doctrina revera ex aliis aliquot libris corrata est et tot erroribus et negligentiae exemplis inquinata, ut eius auctoritas aut suspecta aut debilis esse videatur.

At, inquires, in repetitionibus multae glossae exstant, quarum fons cum hodie deperditus sit, fieri potest, ut in his reliquiae exstent per se haudquaquam inutiles. Quod ita se primo obtutu habere posse concedo; at accuratius quaerenti spes nimia fallax visa est. Remanent enim omnibus illis glossis quarum fontes deteximus neglectis quattuor glossarum genera haec: 1) glossae veteres; 2) synonyma; 3) ficticia vocabula ab ipso Osberno excogitata; 4) novicia vocabula ex fontibus recentioribus vel ex usu illius temporis adscita. Haud paucae harum glossarum dudum notae sunt; nam Panormiam iam Scaligerum sive quisquis fuit glossis Isidori quae dicuntur adhibuisse satis constat. Etiam illud observavi saepius maiorem auctoritatem his reliquiis adscriptam esse quam par fuit, velut ab O. Muellero in Festi adnotationibus; cf. Loewe Prodr. p. 48 sqq.

Atque glossae vetustiores, ut de his quattuor generibus paucis disseram, tantum non omnes ex aliis glossariis nobis notae sunt. Si quae sunt de quarum fonte nihil constet, cavendum erit ne falsa specie decipiamur. Velut si p. 333 (= 369^b) exstat: *magnamentum ti -i divina-mentum*, in quibus et lemma et interpretamentum mirum est. At collato Thesauro glossarum intelleges subesse glossam Vergilianam hanc (Aen. VI 11): *magnam mentem divinam mentem*. P. 80 est: *broca marina belua eo quod sit grossa*; ubi Papias: *broca labrosa belua maris*. Subesse videntur hae duae glossae: 1) *brocca labrosa*; 2) *boca belua marina* (cf. Thes. gl.): quam contaminationem cum Osbernus invenisset, pro *labrosa* quae vox ei ignota fuit scripsit *grossa*. P. 79^b est: *bitallassus vestigium in luto impressum*; ubi prona esset suspicio contaminationis,

nisi Diefenbach aliam viam ostenderet, qui p. 572 habet: *talassus talafus*; unde conicias subesse *talatrus* (cf. *talatrum* in Thes. gl.). P. 246 est: *Familicosus familia plenus*, in quibus latet: *Famelicosus fame plenus*. P. 469^a est: *Palliator philosophus*, ubi subest *Palliatus*: cf. Mart. Cap. II § 213: *multus praeterea palliatorum populus*, ex quo loco talis glossa facile potuit enasci. Vnde animus inclinatur ne eis quidem glossis fidem habere, quae per se suspicionem minus movent.

Synonyma in repetitionibus non uno loco exstant, velut p. 49 ex littera A: *Actutum cito perneciter ocius ilico extemplo protinus velociter curriculo festinato festinanter celeriter mox protinam mature acceleranter propere citatim citanter*. Quorum vocabulorum plurima sub *cursiliter* (p. 139) redeunt, alia plus quam semel, ut sub *protinam* et *festinatim*. Synonymorum collectiones exstare multas, vetustiores adscribi Ciceroni supra vidimus. Quae synonyma studiis rhetoricis destinata per medium aevum propagata, aucta, verbis ficticiis interpolata circumferuntur; studiis certe nostris quae ad vetustiora inprimis tempora pertinent paucissimi fructus ex his noviciis collectionibus accedent.

Tertium glossarum genus a quarto ratione quidem perfacile, reapse tamen aegre distinguitur. Novicia esse mihi quidem videntur plurima diminutiva, quae Osbernus aut solus aut ante alios exhibet, ut *mendaculus* p. 360^a, *mordaculus* p. 362^a, *procaculus* p. 468^b, *pugnaculus* p. 468^b, *mercedula* p. 361^b, *maciecula* p. 363^b. Talium diminutivorum tantus est numerus, vix ut probabile sit venisse ea ex scriptorum illius aevi libris. Osberno porro tribuo adverbia frequentissima in *im* exeuntia, in his satis mira, ut *latiatim* pro *latine* p. 329^a, *micatim* p. 366^a, *consuetim* p. 536, *humatim* p. 266; 275, *humectatim* p. 266, 275, *nodatim* p. 380, alia multa quae nimia credulitate composuit C. Wagener³ II p. 549 (plus quam centum nova exempla habet Osbernus); porro adiectiva in *osus* exeuntia, ut *longinquosus* p. 326^b, *morbidosus* p. 367^b, *duriosus* p. 175, *foedosus* p. 244, *divisiosus* p. 176; substantiva, ut *opitulamen* p. 399^a, *ligurimen* p. 327^b, *sospitulamen* p. 561^b; *fidiamus* p. 246^a; verba ut *ingranare* = *grana in horreum ponere* p. 244^b, *inhumanicare* p. 292^b, alia. Testimonia Diefenbachii, utpote quae ex hoc fonte petita esse videantur, non commemoro. His et similibus exemplis lexicon latinum recte non ornatur: quibus tamen non semel abusus est C. Wagener l. s. s.

Quarti generis vocabula ex libris auctorum illius temporis¹⁾ quo floruit Osbernus excerpta esse existimo sive ex cottidiano usu et hominum commercio adsumpta. Talia enim non exclusisse Osbernum

1) Velut quae de voce 'glis' proferuntur p. 264 *Glis animal, glis terra tenax, glis lappa vocatur* e. q. s. ex Alexandri de Villa dei carmine grammatico v. 445 sq. ed. Reichling exscripta sunt.

ostendunt vocabula gallica, italica, germanica, quae ex parte iam commemorata sunt, ex parte a Maio in praefationis fine enumerata inveniuntur. Eodem pertinere vocabula 'latina' velut *conestabularius* p. 466^a, *pedana catena* p. 467^b, *incanivare* = *incanippare* p. 292^b, *leclator* et *leclacitas* multis locis, *lavorium* p. 295^b, *luctuare* p. 328^a, *frissa carbonella* p. 244^a, *porcistetum* p. 476^b. Talia apud Cangium et Diefenbachium frequentissima sunt, ex hoc nimirum fonte derivata, quamquam potius Hugucio, Iohannes de Ianua testes proferuntur; in lexicis latinitatis medii aevi haec locum habebunt, a thesauro linguae latinae rectius excluduntur. Sed satis iam de hoc 'thesauro novo latinitatis' quem dixit Maius vel de 'Panormia', quod nomen ipse auctor secutus fortasse exemplum Ivonis Carnotensis, cuius 'Panormiam' commemorat Loewe Prodr. p. 241, libro suo dedisse videtur.

§ 53. Pergo nunc ad tertium horum grammaticorum qui summa olim auctoritate floruit Iohannem Ianuensem, cuius *Catholicon* multis etiam nunc codicibus servatum — plus quam quinquaginta notavi exemplaria, quorum maior pars ad XIV saeculum pertinet; sed multo plura exstare scio, quorum in meis excerptis ratio haberi non potuit — inter opera encyclopaedica et grammatica saeculis decimo quarto et quinto studiis multorum hominum doctorum pro fundamento fuisse constat. De auctore glossarii Iohanne copiose tractat Echardus (*Script. ord. Praedicat.* I p. 462 sq. II 818; adde *Histoire litt. de France* XII 13 — 15, Oudin *Commentar. de scriptor. Eccl.* III 577, Berger l. s. s. p. 25, Loewe Prodr. p. 247, ut alios mittam): se esse Genuensem ipse testatur sub *Ianua*: '*Item a ianua porta dicta est Ianua quaedam civitas potens nobilis pulchra et dives iuxta mare sita, et est quasi introitus et porta Lombardie, Tuscie, Provincie. Huius civitatis oriundus fuit compilerator praesentis libelli qui dicitur Prosodia vel Catholicon. Compilerator siquidem huius operis dictus frater Iohannes Ianuensis de Balbis de ordine fratrum Praedicatorum modicus. Qui etiam compilavit alium libellum in theologia qui dicitur dialogus de quaestionibus animae ad spiritum. Qui etiam composuit quoddam opus pascale, ubi scilicet de facili reperitur Pasca. Sed hoc opus pascale composuit antequam ordinem intraret.*' Ad finem perduxit Iohannes *Catholicon* anno 1286 ('*in millesimo ducentesimo octogesimo sexto anno Domini Nonis Martii ad finem usque perduxit*' in fine exstat); est opus '*ex multis et diversis doctorum texturis elaboratum atque contextum . . . per multa annorum curricula*': quibus adde ex praefatione haec: '*operis quippe ac studii mei est et fuit multos libros legere, ut ex plurimis diversos carperem flores*'. Notabilia sunt quae sub *Littera* leguntur: '*Non semper illae consonantes in dictionibus grecis aspirantur, et propter hoc difficile est scire et maxime mihi non bene scienti linguam grecam*'.

Liber inscribitur *Catholicon*, de qua inscriptione (*incipit summa quae vocatur Catholicon*) ipse: *Principaliter autem, inquit, in isto tractatu sive libro intendo de prosodia, licet etiam de aliis tribus partibus aliqua hic tangam. Vnde tractatus iste tamquam a principaliori intento si placet prosodia nuncupetur, vel si magis placet liber iste vocetur Catholicon eo quod sit communis et universalis; valet siquidem ad omnes fere scientias* (usus sum exemplari Ienensi pulcherrimo s. l. et a.). Partibus autem constat quinque, quarum prima est de orthographia, altera de accentu, tertia de etymologia et diasyntastica (!) vel diasynthetica, quam syntaxin intellegit, quarta de figuris, quinta de prosodia, qua quidem parte continetur lexicon, in quo etiam saepissime de quantitibus agitur. Quod lexicon ex quibus fontibus sit compilatum facile cognoscimus, cum ipse fontes suos multis locis aperuerit.

Atque principales fontes duo sunt: derivationes Hugucionis et Papiæ elementarium, qui saepissime coniuncti afferuntur, velut sic sub *Agonitheta*: '*Agonitheta te penul. acuta communis ge. qui vel que est in agone, id est pugil secundum hug.* Papias vero dicit e. q. s. Sed capita Hugucionis in elementa sua disiecta et secundum severum litterarum ordinem disposita sunt, ut pro uno articulo plurimi eique minores evaderent. Nec non contrarius ordo invenitur, ut sub *Abdomen* (*secundum Papiam. Hug vero dicit e. q. s.*); aliis locis solus Hugucio aut solus Papias adhibetur. Ab Hugucione inprimis derivationes desumuntur; testimonia non uno loco abiciuntur; nisi quod Horatii testimonia aucta sunt. Etiam ex sacra scriptura multi loci afferuntur, haudquaquam omnes ex Hugucione aut ex Papiæ. Ad Priscianum haud pauca revocari possunt, quem Iohannes in rebus grammaticis praeter ceteros consuluit; post illum Donatum adiit. Accedunt excerpta ex Isidoro, patribus ecclesiae, ut ex Hieronymo, Gregorio, Augustino, Ambrosio. Ex Hieronymo sive ipso sive glossariis tralaticiis intercedentibus multa vocabula hebraica fluxerunt; ex glossariis ad vulgatam quae dicitur spectantibus plurimi loci Veteris et Novi Testamenti. Sed his adnotationibus ex remotiore antiquitate delibatis etiam doctrinae sui temporis adiecit testimonia plurima¹⁾, ut Eberhardi Bethuniensis Graecismum saepissime exscripsit vel Petri de Riga Auroram quae dicitur (quam in solis litteris A et B his sub vocabulis eum attulisse testis est Reichling in praef.

1) '... unde superabditativa dicitur negatio quae additur negationi et nichil cooperatur plusquam precedens; ut in vulgari solet dici: ego non habeo nichil, quod non plus valet quam si diceretur: ego nichil habeo (verba exscripsit Loewe Prodr. p. 247). Cf. etiam quae Reichling in ed. Doctrinalis Alexand. de Villa-Dei praef. p. VIII sqq. exposuit.

Doctrinalis Alexandri de Villa-Dei p. XIX: *Acetum, Agabus, Agrippa, Albugo, Alchimus, Allophilus, Alo, Amens, Antigonus, Antipater, Apocalipsis, Apollonius, Aratrum, Architriclinus, Aroma, Assecla, Assur, Atrox, Auguro, Azimus, Benjamin, Bidens, Bitumen, Butyrum*), vel Alexandri de Villa-Dei Doctrinale, alios. Atque Iohannis inprimis opera factum est, ut quae olim in glossaria et derivationes, inde in Osborni et Hugucionis libros translata essent testimonia antiquae doctrinae, mutata et aucta ad recentiores libros traderentur, unde in Cangii, Diefenbachii aliorumque thesauros penetrarunt.

CAP. XVIII. DE GLOSSARIIS NOVI ET VETERIS TESTAMENTI

§ 54. In glossariis saeculorum septimi, octavi, noni non paucas glossas ad sacram scripturam revocandas exstare identidem monui. Cum enim in monasteriorum umbra nata et conservata essent haec litterarum monumenta, scilicet institutioni potissimum puerorum et adolescentium Christianorum destinata, inprimis sacrarum rerum ibi rationem haberi par fuit. Sed de glossis illis sacris opusculis profanis insertis hic nolo agere; de glossariis nunc quibusdam disputabo quae ad illustrandam ipsam sacram scripturam, h. e. vulgatam quae dicitur, se spectare aut inscriptione aut materie glossematica aperte testantur.

Plenioris glossarii 'Abavus' hanc esse inscriptionem: *Incipiunt glosae ex novo et veteri testamento seu ex ethimologiarum spiritaliter compositae* supra (p. 136) diximus (in quibus noli cum Arevalo Isidor. LXV 32 pro *spiritaliter* reponere: *specialiter*); quam inscriptionem per se minus aptam esse, cum paucissimae tantum glossae ad novum aut vetus testamentum pertineant, ibidem adnotavi: nempe translata videtur ex glossis 'Abrogans', quae cum glossis 'Abavus' confusae et contaminatae toti glossario quasi titulum dederunt. Glossarum 'Abrogans' optima nunc utimur editione ea quam Eduardus Sievers et Elias Steinmeyer in primo glossarum palaeotheodiscarum volumine p. 52—270 publici iuris fecerunt: quae glossae male Keroni nescio cui adscriptae quomodo cum 'glossis Hrabani Mauri' cohaereant, ex eadem editione cognoscas. Ceterum hoc glossarium etiam sine interpretamentis theodiscis exstare in codice Caroliruhensi Aug. CXV R. Koegel in libello de his glossis scripto (Über das keronische Glossar. Halle 1879) adnotavit. De glossis ipsis idem p. II sic iudicavit: 'Der biblische Bestandteil, auf welchen die Überschrift *Incipiunt glosae ex novo et vetere testamento*, die in allen Handschriften auch der gl. Hr. überliefert ist, hinweist, ist keineswegs bedeutend; vielleicht besteht er nur in den an das Ende einer An-

zahl Buchstaben von einem Interpolator angehängten Erklärungen bibli-scher Namen, die ganz aus der Buchstabenfolge herausfallen' (cf. idem p. XLVII). Ac sane quamquam etiam in reliqua parte sacrae scripturae non ita pauca sunt vestigia, tamen certum est has glossas a ceteris quarti voluminis glossariis profanis non posse disiungi: quod ita se habere ex glossis ipsis cum nostro Thesauro comparatis tibi facile persuadebis. Satis igitur habeo ad ea relegasse, quae p. 136 de ratione quae cum maiore glossario 'Abavus' cohaereant disputavi. Ceterum conferre iubeo quae idem Koegel 'Gesch. d. d. L. I⁸' p. 426 sqq. docte exposuit; quibus addenda quae J. Stalzer 'Zu den brabanisch-keronischen Glossen', Grazer Festgabe zur 50. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner, Graz 1909, p. 80—90 summa diligentia et egregio successu protulit; neque denique erunt neglegenda quae G. Ehrismann 'Gesch. d. d. Lit. p. 245 adnotavit.

Maiore iure eadem inscriptio inditur glossario illi, quod in innumerabilibus exemplaribus ab nono saeculo modo duplici modo simplici recensione propagatur, ex parte edito ab Arevalo tom. VII editionis Isidorip. 407sq. ex codice Vaticano et Isidoro futilibus argumentis adscripto. Eiusdem glossarii partem aliquam continet cod. Leidensis 69 Voss. in 4, quem Plazidum Glogger et I. H. Hessels laudabili cura tractavisse p. 154 exposui. Quarum glossarum cum mihi excerpta ex codice Bernensi 258 (de quo cf. IV praef. p. XXI) saeculi noni praesto fuerint, totius collectionis rationem perspexi. Prior pars ab his incipit: *Incipiunt glosae in genesim in prologo. Bresith liber genesis grece latine, generatio. Prologus* (scil. Hieronymi) *praefatio prae-locutio, Pręsagio providentia, Pentateuchum quinque librorum, obtrectatorum detrahentium, Sugillationem suffocationem, Cudere condere, Fędare sordidare . . . Incipit liber* (scil. Genesis) *In principio ordinis creaturarum, Cęlum et terram informem matheriam. unde celestia et terrestria formata sunt, Inanis inutilis vacua ornatu.* Secuntur nunc quae edidit Arevalus, sed ut singula hic illic ordine mutato proferantur et in verbis ipsis leviter quaedam discrepent; pertinent autem Arevali glossae usque ad Regum librum secundum (cap. 3). Quas excipiunt in cod. Bernensi libri Regum tertius et quartus, post quos exstant *Item de ecclesiastica istoria*: quae etiam in codice insunt Leidensi (p. 10 Hessels); tum *'incipit brevis exsolutio* (p. 10 Hessels) *Ne vel, Viscide viscerade . . . Quoadusque inequiperabilis*; submittuntur *de poralipomenon* (Hessels p. 10sq.); *de Salomone* (Hessels p. 11); *de ecclesiasten* (Hessels p. 11); *in cantico canticorum* (Hessels p. 11—12); *de sapientia* (Hessels p. 12); *de ecclesiastico* (Hessels p. 12sq.); *in libro isaie prophetę* (Hessels p. 13—15); *incipit in Hieremiae* (Hessels p. 15); *incipit in hezechiel* (Hessels p. 16).

Nunc vero in libro Bernensi post *Mundum muliebre* altera sequitur recensio, et primum quidem iterum in *Prologo genesi* et sic deinceps: qua parte continentur in universum eadem glossae, sed auctae alienis, velut hac: *Domigena Berna compositum nomen secundum Cassiodorum b ab eo quod est bonus. er ab eo quod est hereditarius. na ab eo quod est natus id est bonus hereditarius natus atque ideo per b scribitur*; accedunt multa de animalibus, quibus saepius Plinii nomen additum est; in fol. 39^r legitur in *praefatione IIII evangeliorum*, deinde in *matheo* (cf. Hessels p. 21); in *marco* (Hessels p. 21); *ad hebreos*; in fine est: *expliciunt glosę veteris et novi testamenti*. Priori recensionis vocabula theodisca adscripta sunt, alteri a fol. 17^u vocabula hibernica, de quibus consulendus Zimmer Gloss. hibern. Supplem. 1886 p. 1. 2. Insunt in his glossis non pauca quae ad Hieronymum redeunt, velut ex prologo galeato, ex praefatione in librum Iosuae, alia. Nonnulla cum Remigii Autissiodorensis commentario in Genesim comparari possunt, ut haec: *Syntagma compositionem, Hiberas nenias nenie sunt quae in tumbis i. memoriis mortuorum scribuntur quę epitaphia primo Hiberi invenerunt, Autenticos auctoritate plenos antiquos, Oeconomicon id est dispensatorium, Inanis inutilis*, alia. Similia ac liber Remigii codex Parisinus continet lat. 14432 saec. XII in fol. 129^a—153^r, ex quo Gundermann nonnulla excerpsit, velut haec ex fol. 131^r: *De prologo genesis. Desiderii proprium nomen. desiderius vocabatur eps quidam familiaris beati ieronimi qui eum obnixè deprecatus est ut pentateuchum transferret de hebreo in latinum sermonem ad quem scripsit hanc praefationem. Prefatio latine grece dicitur prologus. vel proemium vel p̄viatio e. q. s. Hyberia est hispania ab hybero rege sic dicta. Nenie sunt proprie carnina lamentationum et funerum quae solent lamentatrices decantare in exequiis mortuorum quae quia nullius utilitatis sunt pro ociositatibus et garrulitatibus et ridiculis ponuntur. congrue vero illi genti has ascripsit dicens hyberias nenias quoniam lamentationum mos apud eam praecipue habetur et ipsi admodum ridiculis et vanitatibus sunt dediti. hyberas ergo nenias dicit hispanicas vanitates. Eodem modo etiam porro verba Remigii (Migne 131 p. 53 sqq.) intolerabiliter invenies dilatata. Ceterum similia, sed breviora cod. Parisinus 2674 saec. XII continet. Praeter commentarios in Genesim etiam in alios libros veteris testamenti commentarii leguntur. Prorsus cum Remigio conspirant quae Gundermann ex cod. Parisino lat. 8484 saec. XIII excerpsit: *Prefatio latine grece prologus proemium d̄r .i. p̄viatio. Imen grece latine via. Presagio divinatio est vel signo futurorum e. q. s.* Certum est cum his vel similibus commentariis plerasque glossas contineri; fortasse aliis, si tanti erit, continget rem penitus explicare. Subesse veterem commentarium ante Bedam in Anglia*

scriptum et quidem in schola Hadriani Africani scriptoris suspicatus est Holtzmann (cf. Koegel I² p. 517): quod quo iure dixerit, me fugit; ipse nec refutare nec confirmare possum.

Harum igitur glossarum permulti exstant codices ab octavo usque saeculo ad decimum quintum, quorum partem Gundermann inspexit. Eiusdem prosapiae glossarium est Augiense codicis Caroliruhensis IC saeculi VIII, ex quo Foerster et Koschwitz (Altfranz. Übungsbuch²) p. 27 sqq. glossas haud paucas ediderunt; unde facile explicatur, id quod monuit Heraeus (Zu den lexikalischen Quellen der Reichenauer Glossen; Festschrift zum 15. Neuphilologentag Frankf. a. M. 1912) p. extrema (13), integras series quasdam conspirare cum glossario Leidensi. Descripserunt codicem Steinmeyer IV p. 399, item Holder (die Reichenauer Hdschr.) I p. 256 sqq. Ex eodem codice et aliis glossas theodisceis interpretamentis ornatas ediderunt Steinmeyer et Sievers sub singulis libris biblicis. Subscribam ad glossas Steinmeyeri p. 315 ex codice Oxoniensi Iun. 25 editas seriem congruentem libri Bernensis: *Perizomata femoralia, Signum cain id est tremen; , Versatile vibrantem. versatilis dr̄ pro eo quod quandoque venerit tempus ut etiam removeri potuisset, Concidit mutavit colorem vultus sui, Maledicta terra in operibus tuis hic non opera colendi sed peccata exprimit, Sin si non sic, Num dicis, Aeden sacratissimum ipsum paradysi locum interpretatur oriens, Abitavit in terra haid. in hebreo habi nod id est instabilis, Pro videlicet, Famosi fama nominati, Levigatis limpidatis, Bitumen genus gluti alii piculam alii resinam, Cataractę fenestřę, In articulo diei initio diei, Convallem illustrem proprium nomen vallis, Tadal rex gentium qui super multas gentes regnavit eo quod in diebus eius divise sunt linguae, Rafaim et reliqua nomina provinciarum sunt, Expeditos vernaculos qui sine uxoribus sunt. vernaculus qui in domo ut servus . . . Ferus iracundus indomitus, Sata nomen mensurę habens modium et semissem . . . Vallaverunt circumdederunt . . . Vim fortitudinem, Intuitus attendens . . . Vepres rumices . . . Quin magis vel potius . . . Antrum speluncam . . . Hispidus pilosus, Protinus statim, Adultis maturis, Gnarus expertus, Edulio victui esca ⁊ esu, Parvi pendens pro nihilo ducens, Accersito vocato . . . Quispiam modicum aliquid, Sevit irascitur . . . Locupletatus ditatus, Invidentes invidiam habentes . . . Olim in antiquo . . . Iurgium rixa e. q. s. Quibuscum si contuleris quae Steinmeyer et Sievers p. 304 sqq. ediderunt, item p. 318. 319, multa miro modo congruere inveneris. Quis primus has glossas excerpere et colligere suscepit, mihi quidem ignotum est; fortasse emergent ex codicibus, quae hanc obscuritatem discutiant. De tempore qui quaerent, post Isidororum fere octavo saeculo collecta esse conicient; neque enim vestigia vetustiora deprehendi potuerunt: videntur igitur temporibus Caroli*

Magni adscribenda esse. Atque singula glossemata modo priscam et simplicem formam retinent, ut *patrarat perfecerat*, *Perizomata femoralia*, modo ad scholiorum naturam accedunt, ut *Bdellium in arbore colligitur et pigmentum est* vel *Stacten genus rasini preciosi ad medicamentum valet*, modo maiores quasi tractatus exhibentur, ut initio primi libri Regum ex galeato prologo Hieronymi. Cum vulgatis glossariis vetustioribus partim consentiunt, sive quod eadem glossae iamdudum viam in vulgata glossaria invenerant sive quod interpretes Vulgatae ex talibus glossariis interpretamenta hauserunt, partim — idque multo saepius — differunt et rariora quaedam continent, quae tamen etiam aliunde sciri possunt. Antequam glossarii formam induerunt hae glossae, in commentariis vel marginibus positae esse videntur. Maioris et singularis doctrinae vestigia non deprehendi; si quae ex Plinio, Cassiodoro, Hieronymo exscripta sunt, puriores earundem rerum fontes praesto esse moneo.

§ 55. Singularem locum et auctoritatem maiorem sibi vindicant glossae Augienses, quas ex codice nunc Caroliruhensi CCXLVIII (cf. Holderi catal. I p. 557—560) saeculo VIII vel initio saeculi IX scripto (cf. de hac re nunc Foersteri commentatio 'Zeitschrift f. rom. Philol.' vol. XXXI p. 526 sq.) primus integras edidit J. Stalzer, privatim olim docens in universitate Graeciensi et magno bello litteris ereptus (cf. 'Sitzungsberichte der Kais. K. Ak. d. W. in Wien' vol. CVII a. 1906). Quae editio ut acerrimum castigatorem invenit Wendelinum Foerster l. s. s., qui lectionis haud paucos errores correxit, de compositione opusculi subtiliter quaesivit, de sermone interpretamentorum doctissime disputavit, ita laude minime indigna merito Heraeo visa est in commentatione supra p. 139 allata. Ceterum rationem qua rem suam defendit Stalzer (1. Zu den Reichenauer Glossen. Graz 1908. 2. Zu den Reichenauer Glossen. 'Zeitschr. f. östr. Gymn.' a. 1909 p. 97 sqq. 3. Die den Reichenauer Glossen zugrunde liegende Bibelversion 'Zeitschr. f. östr. Gymn.' a. 1912 p. 481 sqq.) denuo percensuit Foerster nimis severo iudicio usus (Zeitschr. f. rom. Philol. vol. XXXVI a. 1912 p. 47 sqq. (quibus addenda quae anno 1915 'Altfranz. Übungsb.' p. 1 sqq. 284 sqq. dixit). Eadem glossas eodem fere tempore quo Stalzer etiam C. Hetzer tractavit (Die Reichenauer Glossen, textkritische und sprachliche Untersuchungen zur Kenntnis des vorliterarischen Französisch. Halle 1906). In eis quae secuntur missis quaestionibus grammaticis rationem qua haec glossaria cum aliis glossariis latinis coniuncta videantur paucis pertractabo.

Continentur igitur in codice duo glossaria, prius ex ordine librorum biblicorum quamvis turbato dispositum, secundum elementa litterarum

posterius. Quorum glossariorum quod prius est sic incipit: *Genesis dictus eo quod tenet exordium generationis, Subicite subponite, Producat germinat, Callidior vitiosior*, sic autem explicit: *Cymbalis cymbilis, Iubilationis inexplicabilis letitiae*. Singulae glossae cum eis quas modo tractavi rarius conspirant, saepius aperte discrepant. Qua in re fortasse non neglegendum est, quod glossae in Hieronymi praefationem omnino nullae deprehenduntur. At mira quadam ratione has glossas non omnes, sed plurimas coniunctas esse cum glossario 'Abavus' plenioris memoriae Heraeus in commentatione supra allata scitissime demonstravit: cuius argumentationem omni ex parte probare ac confirmare potui. Qui composuit glossarium Augiense, quocumque modo natum esse sumemus, praeter alia adiumenta etiam tali glossario ita usus est, ut quas glossas contextui simpliciter accommodare posset suas faceret: qua in re non semel infeliciter lapsus est. Velut glossae 2385 et 2386 tales sunt: *Conperit invenit cognovit conseruit scit vel dicit, Competitor amicus*; ubi *Competitor amicus* nullo modo in locum ex Maccabaeorum libro II (15, 1) petatum spectare potest. Evolve glossas 'Abavus', ubi haec est glossa: *Conperit conferuit cognovit scit vel rescit didicit, Competitor amicus*: nempe glossator accommodavit glossam 'Abavus', cui proximam fortasse continua scriptura iunctam incogitanter adiecit. Alia exempla eiusdem ἀρρίβητος ex Heraei commentatione petantur. Vbi-lemmata non prorsus congruebant, interpretamenta accommodata sunt leviter ex loci sententia immutata; velut ad *Confisi* (Macc. II 10, 34) ex glossis 'Abavus' *Confisus satis praesumens* adscripsit *satis* (vel *fatis*) *presumentes*; ad lemma *salubris* (Macc. II 12, 46) tribus glossis 'Abavus' adscitis (*Salubrem bonum utilem, Salubre congruum sanum incolumem, Salubriora meliora*) adscripsit haec: *bonis vel utilis congruis. Sanum incolomem. Salubriora meliora*; item ad *Aperti sunt* (Matth. 3, 16) ex glossa 'Abavus' *Apertum evidens patens* adscripsit *evidunt patunt*. Denique ubi non invenit idem vel simile lemma glossator, quod ad verba sacra accommodaret, interpretamenta ipsa adhibuit ad explicationem, velut ad *Depellebat* (Macc. II 10, 14) adscripsit *excludebat* ex hac glossa: *Detrudit devellit depellit excludit*. Quae res quo magis pateat, glossas 2348—2388 subiciam adnotatione idonea ex 'Abavus' ornatas.

Agitare regere (Macc. II 9, 4); *Modeste verecunde* (II 9, 27); 2350 *Delubra templa ara fana idola. Pulvinaria quicquid in idolum colitur* (II 10, 2); *Creditas commissas commendatas. Creditum depositum in manum fide tradi-*

2348 *Agitat regit. 2349 Modeste verecunde. 2350 Delubrum templum ara fanum idola pulvinar vel quicquid in idolum colitur. 2351 Commisum creditum depositum, Credere committere, Depositum creditum. Nonnulla aliunde adiecta.*

tum (II 10, 13); *Depellebat excludebat* (II 10, 14); *Confisi fatis presumentes* (II 10, 34); *Detrusus inmissus*; 2355 *Barbaris indoctis incunditis. Obtusis moderatis inperitis* (II 10, 4); *Oportunitates occasiones* (II 10, 15?); *Tela flumina tela sagitta iacula arma fulmina iaculum flamma ictus* (II 10, 30); *Incedentes ambulantes* (II 10, 35); *Adgressi adorti conati sunt* (II 10, 36); 2360 *Nitentes incumbentes* (II 11, 13); *Annuat oculis consentit vel promittit. Favet venit heret* (II 11, 15); *Consolens providens* (II 11, 15); *Senatores patres conscripti. Senatus nobilissimi viri populo Romano iudices vel magistratus* (II 11, 27); *Accedimus ingredimus* (II 11, 36); 2365 *Pactiones institutiones. Pactum iudicium decretum* (II 12, 1); *Residerant remanserant* (II 12, 2); *Cognatus afinis proximis coniunctus* (II 11, 35); *Lacessantes provocantes detrahentes* (II 12, 14); *Stratis iugulatis* (II 13, 12?); 2370 *Infectum corruptum dissolutum tinctum* (II 12, 16); *Deicerentur delerentur prostarerentur deruerentur* (II 12, 22); *Conantibus vulneribus percussit ictibus* (II 12, 22?); *Iconia figura imago ictes* (?). *Molestes dolentes. Egre acerve indigne graviter iniquo animo* (II 4, 35). 2375 *Incussit inepigit* (II 12, 37). *Conlatio conferentia* (II 12, 43). *Sacrificium honorem* (II 12, 43). *Salubris bonis vel utilis congruis. Sanum incolomem. Salubriora meliora* (II 12, 46). *Solverentur desinerentur cessarentur* (II 12, 46). 2380 *Aggestum congregatum* (II 13, 5). *Obtineret vinceret* (II 13, 13). *Sedavit mitigavit Placavit linivit* (II 13, 26). *Demens id quia amens vel sine mente vel qui deminutionem habet mentis. Dementia vecordia inana stulticia* (II 14, 5). *Evidentibus manifestantibus*

2352 *Detrudit devellit depellit excludit, Detrudere expellere excludere, Detrusus inmissus impulsus inclusus* (cf. 2354). 2353 *Confisus satis praesumens*. 2354 cf. 1252. 2355 Cf. *synon. Ciceronis* velut in libro glossarum, ubi eadem synonyma inveniuntur omnia (scr. *inordinatis inperitis*). 2356 *Opportunitates occasiones facultates*. 2357 *Telis sagittis iaculis vel armis et Fulmen fulgur vel iaculum flamma, Fulmine ictus vel ignis rapidus*. 2358 *Incedo ambulo*. 2359 *Adgressi adhorti conati sunt*. 2360 *Nitens incumbens (splendidus fulgens) vel conans*. 2361 *Annuat oculis consentit vel promittit favet venit haeret*. 2362 *Consolatis provideatis*. 2363 *Senatores patres conscripti. Senatus nobilissimi viri populi romani iudices vel magistratus*. 2364 *Accedit ingreditur*. 2365 *Pactiones conditiones e. q. s. Pactum iudicium decretum conventum (institutiones ex conditiones corruptum videtur)*. 2366 *Resedit remansit placuit vel remoratus est*. 2367 *Cognatus affinis proximus coniunctus*. 2368 *Lacessit provocat inritat detrahit etc.* 2369 *Stratis occisis iugulatis*. 2370 *Infecta corrupta dissoluta tincta vel colorata*. 2371 Cf. *Deicit mactat delet deruit*. 2372. 2373 *Iconia figura imago, Ictibus conatibus vulneribus, Ictus percussus e. q. s.* 2374 *Aegre acerve indigne moleste viz.* 2375 *Incussit inepigit*. 2376 *Conlatio conferentia*. 2377 *Sacrificium honorem*. 2378 *Salubrem bonum utilem, Salubre congruum sanum incolomem, Salubriora meliora*. 2379 *Salve desine cessa*. 2380 *Aggressit congregavit*. 2381 *Obtinere vincere*. 2382 *Sedat mulcit mitigat placat lenit*. 2383 *Demens idemque amens vel sine mente vel quod deminutionem habeat mentis, Dementia vecordia insania stultitia*. 2384 *Evidenter manifeste perspicue aperte clare*.

(II 14, 15). 2385 *Conperit invenit cognovit. Conseruit scit vel dicit* (II 15, 1). *Competitor amicus. Verecundum pulchrum* (II 15, 12). *Habitus species fortitudo corporis moles farine. Abitus corporis potio vel qualitas vestium seu acceptis* (II 15, 13).

2385. 2386 *Conperit conferuit cognovit scit vel rescit didicit, Competitor amicus.* 2387 *Verecunde pulchre honeste.* 2388 *Habitus corporis positio vel qualitas vestium seu acceptus. Habitus corporis moles forma aut species fortitudo.*

Similiter res se habet in glossis 1442—1474 (ex primo Macca-baeorum libro), item in gl. 2259—2277 (ex Act. apost.), alibi. In aliis vestigia modo certa sed rariora, modo pauca aut paucissima inveni. Glossas quae cum Eucherio et Isidoro congruunt, ex parte certe etiam ex 'Abavus' glossario sumi potuerunt. Ceterum de Isidoro et Eucherio cf. Stalzer p. 140 sqq. Quae qui diligenter secum reputaverit, sine dubio discet qua ratione homines docti octavo saeculo sacram scripturam interpretari conati sint, de vetusta autem doctrina ex his glossis augenda desperabit. Quid Romanicarum linguarum investigatores inde discant, h. e. ex glossis non ex 'Abavus' glossario petitis, post Diezium nemo maiore successu exposuit quam Wendelinus Foerster: Hetzerum quaestionibus glossematicis minus quam grammaticis consuluisse iam Heraeus l. s. s. monuit.

§ 56 His glossis in novum et vetus testamentum in libro Augiensi quod subicitur glossariolum ad ordinem elementorum, sed primarum tantum litterarum digestum, 1725 glossas tenet, quas integras edidit Stalzer p. 87 sqq., ad fontes suos revocavit idem in commentatione anni 1908 (Zu den Reichenauer Glossen. 39. Jahresbericht des K. K. zweiten Staatsgymnasiums in Graz), deinde iterata cura anno 1909 (Zeitschr. f. östr. Gymn. a. 1909 p. 97 sqq.). De eadem re etiam Foerster disputavit a. 1912 ('Zeitschr. f. rom. Philol.' vol. 36 p. 54 sqq.). Quod glossarium non ad solam sacram scripturam pertinet, quippe in quo etiam glossae multae ad S. Benedicti regulam spectantes exsistent. Quae ad sacram scripturam pertinent, magna ex parte ad Isidori 'Quaestiones tam de novo quam de veteri testamento' redeunt, partim ad primos quindecim psalmos; his, si Stalzerum sequimur, inseruntur glossae ex libris Salomonis, ex prophetis, ex Esther, Iudith, Iob, Tobias, Maccabaeorum libris, praefationibus Hieronymi, denique ex arte Donati. De his glossis illustrandis ut non omnia quae protulit Stalzer certa sunt et nonnulla adeo falsa, ita illum in univsum bene meritum esse nullo modo potest negari. De quaestionibus singularibus, si tanti videbitur, nisi qui ipso codice inspecto diligenter observaverit diversitatem manuum, recte iudicare non poterit. Certus qui-

dam ordo per omnes litteras regnat. Priore in parte glossae Isidori et librorum quos dixi vulgatae locum habent miro modo mixtae et confusae, cuius rei rationem aegre expedias; posteriore in parte glossae ex regula Benedicti et psalmis quindecim primis positae sunt; in fine nonnullarum litterarum supplementa quaedam exstant eiusdem prosapiae qua glossae prioris partis oriundae sunt. Interpositae sunt aliquot glossulae aliunde ablatae. Cum glossis 'Abavus' paucissimae glossae eaeque tritissimae leviusculis in rebus componi possunt. Quodsi Stalzer putat, satis arto vinculo conexas esse has glossas cum glossario non alphabetico, opinio eum fefellit: nam quae comparari possunt sive interpretamenta sive lemmata, ex materiae et fontium congruentia repeti possunt omnia.

Duo glossaria alphabetica ex excerptis cognovi, quae inde post alios Steinmeyer et Sievers vol. I p. 271 sqq. ediderunt. Alterum exstat in cod. Oxoniensi Bodl. (Iun. 25) saeculi noni, de quo cf. Steinmeyer IV p. 588 sqq., in fol. 87^u—107^u, item in cod. Caroliruhensi Aug. IC in fol. 56^a sqq. saeculi noni (cf. Steinmeyer IV p. 399 sqq. Holder I p. 256 sqq.); continet glossas in libros biblicos a Genesi ad Regum lib. II. Alterum est in codice Parisino 2685 saec. decimi in fol. 58^a sqq.; exhibet glossas inprimis ad libros Regum et Maccabaeorum pertinentes nec non in Acta apost. satis incondito ordine se excipientes; cf. Steinmeyer IV p. 594. Etiam in his glossariis primae tantum litterae ratio habetur; ceterum ordo lemmatum idem qui est in sacra scriptura in singulis litteris servatur. Quaerenti mihi unde haec glossemata provenerint in universum eiusdem generis esse visa sunt quod in plurimis codicibus exstare diximus: inveni enim in meis excerptis quamvis minime copiosis non ita pauca lemmata consentire, nec semel eadem interpretamenta (quamquam qui transtulit haec interpretamenta latina tantum non semper abiecit), velut *Arbitris iudicibus* (Gen. 39, 11). Sed non audeo de his glossariis certius iudicium proferre, ut ad quae mea excerpta non pertineant.

Glossaria illa veteris et novi testamenti quae adhuc commemoravi, quamvis satis exilia fuerint, tamen etiam proximis saeculis, h. e. decimo, undecimo, duodecimo frequenti opera describebantur. In universum autem regnavit his temporibus auctoritas cum glossae ordinariae Strabonis Fuldensis, qui verborum interpretationi non multum tribuit, tum glossae interlinearis quae dicitur, quae satis trivialia interpretamenta continet; altera ex parte magna illa corpora consulebantur, ut liber glossarum cum Salomone et Papia, quae hebraicis glossis glossisque ad locos sacros pertinentibus ultro homines invitabant, ut etiam in studiis sacris ad suos thesauros se converterent. Quod quam-

vis ita esset, tamen etiam tenuiores illae collectiones octavi et noni saeculo denuo hic illic emergerunt. Sic vestigia quaedam deprehendisse mihi videor apud Guilelmum Britonem ex ordine minorum, qui praeter alia opuscula, quae nunc neglego, 'in prologos biblicorum' librum composuit: cuius libri pars nunc legitur in exemplaribus impressis Postillarum Nicolai de Lyra — ipse inspexi exemplar anni 1545 quod exstat in bibliotheca Ienensi — et vestigia illarum glossarum certissima ostendit. Idem Guilelmus Brito etiam Summam edidit, h. e. librum de significationibus vocabulorum in sacra scriptura usurpatorum, in innumerabilibus codicibus saeculorum tertii quarti et quinti decimi propagatum. Ipsi tractationi versus illi salebrosi praemissi sunt, quos exhibet Cangius praef. cap. XLIX; quorum primi tales sunt:

Difficiles studeo partes quas biblia gestat

Pandere e. q. s.

Ipsa 'Summa' velut in cod. Paris. lat. 521 saec. XIV sic incipit: *A littera sicut dicit ysidorus in primo libro ethimologiarum ideo in omnibus linguis est prior quia ipsa nascentium vocem aperit unde dicitur . . . Item dicit Priscianus in tractatu de interiectione . . . Abba sicut dicit glosa ad gal' IIII hebraicum nomen est . . . Papyas vero dicit quod syrum est et hebreum . . . Abdicare multa signat . . . has significationes potes colligere ex papyra et dirivationibus huguicionis . . . et sic explicit (in cod. Paris. lat. 523): Zorobabel apud hebreos . . . verba sunt ysidori eth. VII. Subiciuntur versus decem (cf. Cangius l. s. s.), quorum hoc est principium:*

Hic ego doctorum compegi scripta sacrorum,

Floribus auctorum loca certa notando librorum

In serie quorum textus patet hic positorium e. q. s.

Omnium saepissime Papias, Hugucio, Isidorus, Priscianus adferuntur. De ipso auctore conferre iubeo quae Berger (de glossariis e. q. s.) p. 18 sqq. corrasit.

A Guilelmo Britone omnis pendet auctor Mammotrecti qui dicitur, h. e. Marchesinus, cuius liber ut laudatur a traditionis defensoribus ita magnopere vituperatur ab eis qui Petrarcae vestigia ingressi veterem Ciceronis latinitatem resuscitare studebant. De codicibus aliquot Berger p. 31 sqq. disputavit, idem ibidem de editionibus. Ipse inspexi unum ex exemplaribus Ienensibus anno 1492 editum. Mammotrectus factum est ex mammothreptus: 'quia morem geret talis decursus pedagogi qui gressus dirigit parvulorum mamotrectus poterit appellari' (ita explicit prologus auctoris in mamotrectum). Praemittitur 'vocabularius in mamotrectum secundum ordinem Alphabeti', h. e. tabula vocabulorum alphabetico ordine dispositorum locis ubi invenian-

tur breviter adscriptis; secuntur glossae ad epistolam Hieronymi ad Paulinum; post has liber Genesis feliciter incipit et sic porro; subiciuntur tractatus quidam de quaestionibus, de quibus cur nunc disputem non habeo. In 'expositionibus' suis Marchesinum inprimis verba ex Britonis Postilla desumpta repetisse Berger p. 48 docuit; alia ex Petri Rigae Aurora, ex Beda, Vincentio Bellovacensi ducta. Subiciam initium commentarii in Genesim compositi. *Incipit liber genesis. A principio creavit deus celum et terram etc. Hec abyssus. si. profunditas aquarum. quasi sine bysso .i. candore. ab .a. quod est sine. et byssus quod est genus lini candidissimi. Versus de femininis in us. Hec paradisus habet nardus domus atque hyacinthus. Et synodus crocus* <scr. *costus*> *et carbasus alvus abyssus* e.q.s. <cf. Alex. de Villa Dei v. 654sq. ed. Reichling>. *Hic et hec inanis et hoc ne* et sic porro. Neque ex his expositionibus neque ex compendiis grammaticorum qui insecuti sunt, velut ex Comprehensorio Iohannis, peti possunt quae nostra studia aliquatenus sublevent, unde pedem sistere placuit. Cf. si tanti est Bergerum l. s. s. cap. VI.

CAPVT XIX.

DE GLOSSARIIS MEDICOBOTANICIS RECENTIORIBVS

§ 57. Glossaria medicobotanica vetustiora quae quinto capite tractavimus partim ex medicorum, ut Cassii Felicis (§ 17), partim ex botanicorum ut Pseudapulei (§ 18) scriptis derivata sunt: ad quae libri glossarum qui dicitur excerpta medicobotanica accedere p. 113 § 31 diximus. Maximam vero medio aevo auctoritatem adsecuta est latina versio Dioscuridis sexto ut videtur saeculo facta, de qua edenda et illustranda post Auracherum (Rom. Forsch. I 49 sqq.) Hermannus Stadler optime meritus est.¹⁾ A qua versione pendet Dioscurides (Dyascorides) latinus ad alphabeti formam revocatus auctusque additamentis ex Gargilio Martiale, Pseudapuleio, Pseudoribasio, Isidoro, aliis (edidit Colle a. 1478 apud I. Allemannum): quam recensionem in libris manuscriptis frequenter traditam adierunt Vincentius Bellovacensis, Simon Ianuensis, Matthaeus Silvaticus, glossematum medicobotanicorum auctores noti et ignoti

1) De Dioscoride Longobardo cf. Stadler Arch. X (1898) p. 117 sqq. XII (1900) p. 11 sqq. Rom. Forsch. X (1899) p. 181 sqq. 369 sqq. XI (1901) p. 1 sqq. XII (1902) p. 161 sqq.; Allgem. Medizin. Zentralzeit. 68. Jahrg. (1900) 14 et 15; Ianus, Archives Internationales pour l'histoire de la médecine etc. IV (1899) p. 548 sqq. His adde V. Rose Anecd. Graeco-Lat. II 113. 119 A. 2; Teuffel Röm. L. G.^o § 498.

multi. Sed etiam alia res his temporibus notabilis est. Arti enim medicae non modo monachi laicique Italicorum et Francorum medici operam dederunt, verum etiam laudabili successu Arabes, ad quos Graeca doctrina per Alexandriam migraverat. Quae qui reputaverit, si in glossariis vestigia Arabum deprehenderit, minime mirabitur. Velut quod in codice Parisino latino 6893 saec. XIV in fol. 338ⁿ—339^r sic est: *Incipiunt synonyma. amsa ·i· cidam. abarithe anzeldarchet . . . zamores ·i· smaragdus. zufe ·i· ysofus. Expliciunt sinonima rasis filii Zadurie* (idem glossarium teste catalogo in codd. 6901. 6902. 6903. 6905. 6906. 6907. 6907^a saeculi XIV omnibus invenitur; Razes floruit saeculo nono): quibuscum conferantur glossaria duo cod. Parisini lat. 16186 saec. XIII (1. *Alfachim ·i· medicus. Arteria subetem ·i· faciens dormire et sunt due grosse in gutture e. q. s. 2. Areffata ·i· rotula genu. Aserescl ·i· berberis . . . Ahalaich ·i· sentitis*: quae excipit ‘canon Avicennae’ famosissimi Arabum medici). Sed haec et alia quae eiusdem generis sunt studia arabica nolo accuratius persequi: non quo indigna videantur investigatione, sed quibus illustrandis minime par sim: nec ad studia latina talia pertinere existimo. Latina autem glossaria quaedam quae his temporibus exorta sunt una cum compendiis quibusdam notabilioribus, quibus vetusta doctrina etsi mutata forma propagata est, silentio prorsus transiri posse nego: de quibus quatenus ex meis excerptis fieri poterit nunc disputabo.

Atque initium capio a notissimo glossario Alphita appellato secundum primam glossam, quod edidit Salvator de Renzi medicus Neapolitanus in collectionis Salernitanae vol. III p. 271—322 ex duobus codicibus Parisinis (6964 a. 1305 et 6957 saec. XV), sed ita, ut glossas in severiorem alphabeti ordinem redigeret. Codicem quem pro fundamento habuit eiusdem collectionis vol. V p. 124 sq. diligentius descripsit; alterum librum (h. e. 6957) ibidem p. 123 sq. tractavit. Ceterum idem glossarium quamquam non omni ex parte congruens exstat in cod. Oxoniensi collegii omnium animarum 74 in fol. 244—250 saec. XIII, quod ab his incipit: *Alphita farina ordeï idem est. Arsenicum auri pigmentum citrinum sandaraca id quando simpliciter auripigmentum invenitur de citrino intelligitur. Asa fetida lasar . . . Amaracus samsucus . . . Amātilla portentilla . . . Alippiados laurcola . . . Asfodillus . . . Agaricus fungus . . . Ampelon . . . Aristologia . . . e. q. s.; explicit sic: Zerna . . . Zimia . . . Zirbus omentum ut in o. Duo alia exemplaria Oxoniensia protraxit Gundermann, alterum saeculi XIV Bodl. — Ashmol. 1396 (*Alfita farina ordeï ·i· arsenicum ·i· auri pigmentum . . . Zirbus . . . Zucorariū vel zucorocia est flos vel semen angni casti. Explicit alphita de diversis nominibus herbarum et gummerum et nominibus grecis expo-**

nendo ea que sunt diversa materialiter eadem tamen realiter.), alterum Bodl. Ashmol. 1470 saec. XV (*Incipiunt Sinonima m<agistri> R<eginaldi>*). *Alfita farina ordeī idem arsenicum ·i· auripigmentum e. q. s. . . . Zimia est apostema factum de fleumate ut in Iohannicio. Expliciunt sinonima M. Reginaldi*: qui Reginaldus quam partem habeat in his synonymis nescio). Adde etiam cod. Parisinum lat. 7056, item Londinensem 'Old Kings mss.' 12 B III saec. XIV. His accedit codex Bernensis 295 saec. XIV in fol. 68^r—73^a; ex quo exempli causa litterae A glossas subieci.

Alphita. farina ordeī idē.

Arcenicū auripigmtū qñ simplr auripig^s intelligr de citrino

Asa fetida lasar quirinatum silphiū. et silfiū est ferula cuius guī est asa fetida in opus sinphii ipsa asa fetida ut in alexandro

Amaricus sansucus maiorana mentilla. fu. valeriana.

5 *Alipados laureola herba catholica*

Affodilus albutium. c. capia.

Agaricus fungus abietis

Ampelon prassiū vitis alba idem

Ampelon leuce itē ampelon agas vitis agrestis quae alio nomine lambrusca dr et eius flos yñatū

10 *Ampelon melanas ·i· nigra vitis et ampelos onofores vitis vinifera*

Aristologia ro . malum storax est et alia aristolo^o que dr longa et secundum marcum tertia species est quam nos dicimus fel terre qñ simplr pō rotunda intellr

Authemis camomilla id.

Alcionium caro marina ut nos accipimus. vel plumbum ustum ut alii vel cinis maria ut alii

Anemon papaver rufum qñ pō simplr album intellr

15 *Ameos nenuche*

Antera semen rose

Anisum ciminum dulce

Antimonium est vena terre similis plumbo

Allium scordeon tyriaca rusticorum

20 *Atanasia mater herbarum*

Antos flos roris marini iñ nomen anthos pro quolibet accipitur

Acatia succus prunellorum imaturatorum apud grecos

Acatia succus prunellorum imaturatorum it acatia tta-i-dā.

Altea bismalva eviscus malviscus ibiscus

25 *Anggo portulaca dilica spelta*

Alexantos flos salis alex·i· sal. anthos flos caliphe urtica

Aithodides bacce iuniperi minoris

Atanasia tanacetum hac utuntur salernitani pro arthemisia

Artemesia lingua avis plantago maior lingua arietis

30 *Aspaltum bitumen indiaē*

Antc^o herba est

Anantia pes leporis gariofilata sanamunda

Acantus spina inde acantus egyptia in acantus leuce-i. spina alba

*Alumen stipta in stipta scistis quae est aluminis sciscinum quod vulgari nomine
dr alumen de pluma et rotund^s quod et sucarinum dr et silr liq^s quo ra-
rius utimur. alumen vel stipta simplr nos intelligimus pro cisso alii pro
rotundo*

- 35 *Amurca fex olei superior et est utilis sed murca est fex olei inferiorum*
Apium herba .V. sunt genera domesticum . apium rananum sive raninum .
apium risus . apin emorrogdar ut in dietis partibus (= particularibus).
cerefolium est genus apii.

Acer herba acer arbor

Arilli arida grana uvarum et dicuntur arilli ab ariditate

Alapsa galla et alapsa aluta

- 40 *Atramentum est terra gallicana cuius nobilior species vitreolum dr et dr vitre-
olum a claritate vitrea q i electoribus gaus eius invenitur*
*Abastrum genus est marmoris (sequitur lacuna 6 litterarum) parvum et est
et album*

Adiantos capilli veneris secundum alex

Ambustum cax viva in tpr extinctum

Alcanna herba est sed differt ad nos pulverizata

- 45 *Acorus glandiolus .IIII^{or} sunt herbe valde similes in forma et acorus qui dis-
cernitur a flore citrino et radice rubea spatula fetida q discernitur ali-
quantulo odore et nullum facit florem et pterea yris purpureum florem
gerit yreos albu glandiolus cceu. sed spatula fetida nulli*

Abrotanum simp domestic sed sicheu abrotanum est agreste

Alleluya panis cuculi.

*Atinum quod est de uva relinquatur extracto musto unde uve passe . qnz
atina dicuntur ut in suetonio de angusto cesare.*

*Argiofora gemma margarita perla alba albula perla qn simplr non perforata
sed unio unionis intellr pciosissima margarita*

- 50 *Anacardus pediculus elephantis ut dicunt quidam sed est fructus arboris*
Amidum amilum ide sine mola fit de tritico
*Amb sp ceti (Ambra spermaceti Renzi) ut quidam sed procul dubio qui arbo-
ris prope mare nascentis*

Affros spuma in affrossu affrodite .i. venus in affrodisia .i. etas venerea

Affronitrum spuma iter quod ipsa est salsa

- 55 *Atriplex crisolocana herba catholica*
Anthora herba est quae cca (contra Renzi) thoram herbam venenosam
Antele lapis quidam anetus agreste
Amorosia rapistrum

Asarabaccara vulgago gariofilus

- 60 *Agnus castus arbor est multum similis salici marine*
Apoquinos succus seminis lini ut quidam vel sordes navium
*Asplemi herba splendilogion herba est silima et in exterioribus et in virtute
scolopende*

Alipla qdam confectio ist q quia minist recipit alipta mcata dr

*Anthophili maiores gariofili quasi an an nati et sunt idem anthofili quod
grosse fic' quasi flores arboris unde aliud protulit grossas suas*

- 65 *Aloes tres sunt species epicū citrinum caballinum hoc ultro nō utimur ad laxⁱ*
aloe qñ epicū simp^r licet apothecarii pro citrino intelligant
Arthites est qdā ydopisis dicta ab achis quod interpretatur utatur eo quod
venti arthiti percussus sonat admodum uti semipleni
Amincū sine rubore .i. album ut in alex^o
Atropia .i. extenuatio et interpretatur sine conversione
Anastrophā conversio scoi sursum .i. invomitum catastrophā conversio scoi de-
orsum .i. in fluxu vents dūm fluxus cur fiant de vito sto
- 70 *Anagoge .i. eiectō sanguinis per os*
Anathimiasis delatio fumi sursū ad caput
Analeptia spes epileptie de vito stoī. ana sursum. sursum vel equale
Anesis ē quies ab a quod est sine et nexō quod est labor sum egtisco in ane-
tica .i. mitigatia
Apomel aqua frā i aqua favū mellis abluitur sed ydromel habet ipsum mel
compositum cū aqua frā sine omni deco^{ne} nec habemus octā proportio-
nem mellis ad aq. item mulsa de .VIII. partibus aq et nona mellis dis-
pumati et coquitur ad consumptionem te partis illius. quod si plus co-
quitur vel minus aqua dī mulsa aquosa mitticū idē ē quod mulsa ut i
alex^o de oculis. sed i .V. particula afforⁱ pro mitticō accipimus ydromel
quidam exponunt de melle et vino sed hii incipiunt mitticū pro oxi-
melle. verumptamen craton interpretatur vinum ut in graeco vulgari
- 75 *Acopum mitigatum ab a quod est sine et copos quod est labor. inde miraco-*
pum .i. mire mitigatum.
Atago ataginis avis est opimas habens carnes in partibus tholosanis invenitur
Asinthesis interpretatur sine psoe
Antipasis contraria detctō sed methasis linearis detctō
Apoflatismus ome quod per os et per nares deponit a capite sive sit gargⁱ sive masticatō
sive interiorū oris sive caputpgium per nares inmissum sive sternutato-
rium et dī apostavu^r ab apo quod est de et flā quasi de pōes flātis
- 80 *Apozima interpretatur defervescentos intellegimus decoc^{nē} ab apo quod est de*
et zeo zes quod est ferveo zes ut in z.
Anaplectica q replet vulnus carne
Ares interpretatur virtus inde arcotica .i. virtuosa et anepagita .i. multum si-
milis
Amicticum .i. corporatū
Apocrustica .i. percussiva
- 85 *Amodicum .i. mitigatū*
Alumbicum .i. vas distillatorium in quo sit aqua. ro. et similia
Autumini vas alembio simile
Anastomasis interpretatur apertio sed anabōsis sive dyabōsis corrosio vel incisio
Alphīn morphea inde alphas inclās morphea nigra et alphas leucas. morphea
alba
- 90 *Alchos princeps in paltarchion pluribus principans et similia*
Apulum sive pella sive testa .i. ollia in et dī alpala sorthos molis caro et hac
mollicie quaelibet mollia dicuntur apala vel forbilis
Angima est ap'a quod nascitur in gula dictum ab angō angis qui morbus
maxime porcis et animalibus accit qñz et hominibus

- Amicseron* .i. facilis ad gnosendum ut in alex^o de th'si vel oculis
Ampliopia .i. obscuritas visus ut in oribasio et alex^o de oculis
- 95 *Anliscus* .i. mitigatorium .i. icoriū p quod initiuntur liquores in anum . usis-
 cus nuchos instrumentum id p quod initiuntur liquores in aures nuchos
 enim auris interpretatur
- Acrocordines* sunt species vermiū i orobo crescentium
- Augma augmatis* interpretatur aug^o. in d^r adolescentia etas augmactica quia
 in ea crescit homo . in etiam d^r febris augmastica .i. crescens . epag-
 mastica .i. decrescens et multa similia sed augimē interpretatur status in
 d^r inventus augmastica quia in illa recte stat homo nec crescit nec mi-
 nuatur
- Antra* est venenosum apa
- Aspratiles* dicuntur pisces ab asperitate spinarum. vel locorum in quibus degunt
- 100 *Anaxia* vel anagalion consolida maior
- Arage citromulum* idem
- Ason* est sp^oiva et d^r ab ay quod est semper et zon quod est vivere vel vita
- Amabntū* sine inquinatiōne
- Acantum* ciminū vel igia vel viticū idē
- 105 *Agrimatū* .i. gith
- Adarascha* etts albus idē
- Acarca sarcocolla* idem
- Allogallica gentiana* idē
- Antifarmacum vicetoxic*
- 110 *Anagodara* .i. sumac
- Agimonia agmonia* idem
- Aгна aristologia* longa
- Amonis barba iarus* pes vituli
- Amifructus iuniperi* cachi .i. bacce lauri

Quas glossas cum glossario Renziano qui contulerit, auctas inveniet in littera A circiter viginti glossis. In ceteris quoque non levis discrepantia scripturae deprehendetur. In universum enim glossae Bernenses vel corruptiores sunt Parisinis, item ut videtur Oxoniensibus (74), ex quibus pauca tantum excerpta penes me habeo. Eiusdem glossarii recensionem, sed satis diversam, Parisinus lat. 8160¹) continet, siquidem ex meis excerptis iudicare licet. Multo magis autem discrepat recensio quam I. L. G. Mowat in *Anecd. Oxoniensibus* (Mediaeval and modern series vol. I part. 2) sub titulo *Alphita a Renzio desumpto a. 1887* edidit. Vsus est cod. Bodleiano Selden. B. 35 saeculi quinti decimi ascito simul codice musei Britannici Sloane

1) Incipit sic: *Alfa* .i. farina ordeī. *Arsenico* .i. auripimento. *Amentilla* .i. valeriana. *Albucium* .i. affrodilli. *Ampelon* .i. vitis alba. *Agarias* .i. vitis e. q. s. Explicit: *Zud* .i. butirum crudum. *Zufaraud* .i. radix mandragore. Ex quibus apparet additamenta accessisse quae in purioribus exemplaribus non inveniuntur. Etiam in Museo Britannico talia glossaria exstant, quae non inspeximus.

284. Glossae ibi alio ordine dispositae sunt quam in codice Bernensi et in singulis magnopere discrepant, sed procul dubio simili quodam fundamento nituntur. Nec id mirum: nam plurima olim glossaria circumferebantur modo aucta, modo decurtata, modo ad usum huius vel illius gentis etiam sermone accommodata, modo quavis ratione diversa, sed ex simili radice propagata omnia. Nonnulla in meis excerptis notata inveni; alia neglecta, cum mediocris spes sit ex talibus collectionibus recentioris aevi multa peti posse, quibus vetustiora glossemata illustrentur. De ratione qua Renzii glossarium, a quo exorsus sum, cum toto hoc genere coniunctum sit, haec est eius disputatio (p. 271): 'Questo breve trattato trova luogo nella *'Collectio Salernitana'* non perchè io lo credessi scritto in Salerno, anzi mi par chiaramente opera di uno scrittore francese, ma unicamente perchè è desso un Vocabulario delle voci spettanti alla patologia, alla terapeutica ed alla materia medica degli scrittori del medio-evo, massime Salernitani'. Commemorantur velut Oribasius (94), Alexander (sc. Trallianus; cf. 3. 42. 67. 74. 93. 94), Salernitani (28), quibus e ceteris litteris accedunt Rasis, Avicenna, Constantinus, Gariopontus, alii. Plurimae glossae formam synonymorum exhibent (cf. 1. 8. 12. 105. 106. 107. 108. 111, aliae); et in fine est: *Expliciunt cinonima* (corr. *sin*— alia manus). In Gallia haec scripta esse vocabulorum gallicorum multitudo videtur indicare. Adfert haec Renzi p. 271: 34 (ubi *vulgari nostro* codd. Parisini, ut *Bedegar rubus*, *idem vulgari nostro dicitur esglantier* et *Steax. vulgari nostro lupia loupe*, et *Yssicia . . . vulgari gallico suicie*), *Endica fex nitri*, *gallice liche*, *Mescata . . . saucisces gallice*, alia. Non desunt quae cum glossis vetustioribus congruant vel certe similitudine aliqua cohaereant. Sed longe plurima maiorem discrepantiam ostendunt; unde discimus non ab illis glossariis quae tertio volumine exhibuimus has glossas pendere; immo excerptae sunt partim ex Dioscuride latino partim ex aliis libris medicinalibus, quales recentiore aetate plurimae in usu erant, quamquam haud pauca ex ipsa vetustate propagata sunt, ac nonnulla ne mutata quidem.

Inter cetera glossaria quae innotuerunt *Sinonoma Bartholomei* eminent (cf. *Anecd. Oxon. Mediaeval and modern series. Vol. I, part. 1*; editor est I. L. G. Mowat), h. e. compilatio Iohannis Mirfeld (Marfelde, Marisfeldus) sub finem saec. XIV facta et in honorem monasterii S. Bartholomaei Londinensis cognominata: quae compilatio pars est '*breviarii Bartholomei*', quo una cum hoc glossario disputatio de morbis et medicamentis quindecim capitibus continetur. Quae synonyma herbarum medicinalium et medicamentorum plurima, item nomina morborum, denique terminos quosdam ad anatomen spec-

tantes enumerant. Auctores non pauci commemorantur, quos Mowat p. 2 composuit; sunt hi: Isidorus, Constantinus (Africanus, ut videtur), Avicenna, Galenus, Rogerus; unde apparet Salernitanorum temporibus hoc quoque glossarium natum, cum eo autem glossario quod ab Alphita incipit certa et arta ratione coniunctum esse; quod discitur velut ex his glossis litterae A: *Acinum quod de uva relinquitur extracto musto* = 48; *Acer herba est. Acer etiam arbor est* = 37; *Adarasta elleborus albus* = 106; *Adiantos capillus veneris idem* = 42; *Affodillus centum capita idem* = 6; *Affronitrium spuma vitri* = 54; *Agarius fungus abietis idem* = 7; *Alphita i. farina ordeï* = 1; *Aloes III sunt species, s. epaticum cicotrinum et caballinum, hoc ultimo non utimur ad laxandum* = 65; *Aloe quando simpliciter epaticum intelligitur licet apotecarii pro citrino intelligant* = 65; *Alfus i. morfea* = 89; *Allagallica i. gentiana* = 108. Quibus accedunt plurima alia in eadem littera exempla. Vnde apparet Marisfeldum aut aliqua recensione Alphita glossarii aut eodem cum illo fonte esse usum. Porro notabile illud esse moneo, quod anglica interpretamenta haud pauca insunt, quorum indicem Mowat p. 45 sq. exhibet: qualia indicarent patriam scriptoris, etiamsi nomen non aperte positum esset. Praeter voces anglicas etiam arabicas inveniri Loewe Gl. Nom. p. 117. 118. 123 recte monuit. Saepius versiculi grammatici interpositi sunt, ut *Glis animal, glis terra tenax, glis lappa vocatur* (ex Alexandro de Villa Dei v. 446), qui quomodo cum magnis medii aevi compendiis cohaereant idem Loewe p. 122 exposuit (cf. etiam Mowat praef. p. 3).

Ceterum numerus glossariorum medicoboticorum recentioris temporis maior est quam ex libris editis videtur. Velut in cod. Parisino lat. 13014 saec. XIV in fol. 179^r—183^v synonyma exstant, quorum primum est *Arthmesia macricaria mater herbarum*; notabilia interpretamenta sunt germanica, ut *barba aaron yarus pes vituli idē i. kelreshals . . . anagallum vel siphit anagallit i. consolida maior beynwelle*. Similia etiam in aliis glossariis me legere memini, de quibus tamen nihil in excerptis adnotavi.

Simon Ianuensis¹⁾ quis fuerit et quid sibi proposuerit ex hac inscriptione et praefationibus apparet: *Incipit Clavis sanationis elaborata per Venerabilem virum Magistrum Simonem Ianuensem dñi Pape Subdiaconum et Capellanum: Medicum quondam Felicis recordationis Domini Nicolai Pape Quarti: qui fuit primus de ordine Minorum. Domino Suo Precipuo Dñō magistro Capano dñi pape Capellano canonico Parisiensi: Simon Ianuensis subdiacon' seipsum ex debito commendat. Opusculum iam*

1) Cf. E. Meyer Gesch. d. Bot. IV p. 160 sqq.

*dudum a vobis postulatum quasi quid utile continens: cum quanta potui diligentia qualitercumque ad finem usque pductum ingenio vestro dirigere censui iudicandum: et si supplici rogatui detur audacia etiam corrigendum: dummodo tantum philosophie culmen ad huiusmodi vilia non dedignetur descendere. Nec certe mihi deest ab imperio vestro presumptio Nam vosipse hocipsum mihi iussistis. Magnam enim in eo partem vestram sentio. Et si calumniabile quicquam continet non minus vobis quam mihi habetis ignoscere. Cognoscebatis namque cui imperastis. Porro si quid utile continet vobis ascribendum est, possessio enim vestra est et opus et auctor. Subscripta prefatio non vobis ut vobis dirigitur: sed ut cum ceteris si libet et ut libet in publicum dirigatis. In altera praefatione et de difficultate rei suisque studiis agit et fontes enumerat recensetque quibus in libro magno usus est. Primo in loco affert 'Dioscoridem', qui 'ab antiquo in latinum habetur. a primo exemplari differt. nam hic per alphabetum in latinum ordinatus est'. ille vero in V libris distinctus ut per ipsius prohemium demonstratur. Multa etiam capitula in hoc desunt que ille continet. aliqua etiam in hoc libello sunt addita que ipsius auctoris non sunt per Serapionem de simplicibus medicinis et per hoc opus ostenditur'. Porro enumerantur hi: Alexandri liber de practica, Democriti practica, Demosthenes 'obthalmicus', Oreibasius, Musio, Paulus (Aegineticus), Almansor, Rasis, Avicenna, Serapio, Albuchasim, quibus accedunt alii libri cum latini tum ex arabico et graeco in latinum conversi. 'Omnia tentavi quantum ingenii mei paupertas sineret ut opus efficeretur excultum'. Deinde in singulis paragraphis auctores ipsi apponuntur. Eiusdem Simonis Ianuensis nomen saepius redit in glossariis. Velut in cod. Parisino lat. 6823 saec. XIV exstant 'Synonyma Simonis' in fol. 215^r—249^r: *Incipiunt Sinonima magistri Simonis de Iañ abbreviata per magistrum mundinum. Et ego manfredus de monte imperiali sicut inveni in suo origine ita scripsi et cetera adidi . . . Aaron .i. yarus i. dragontea minor .i. gicarus. Aabsella .i. agrimonia; explicit Zurunibet pro ea Zedoaria utimur. Deo gratias. amen.* Similia synonyma insunt in cod. Parisino lat. 7057 saec. XIV.*

Matthaeus Silvaticus in exemplari Ienensi quo usus sum hanc habet inscriptionem: *Liber pandectarum medicine: omnia medicine simplicia continens: quem ex omnibus antiquorum libris aggregavit eximius artium et medicine doctor Mattheus silvaticus ad serenissimum Sicilie regem Robertum, hanc autem subscriptionem: Opus pandectarum medicine emendatum per eximum mium (!) artium et medicine doctorem dominum et magistrum Matheum moretum brixanum: Bononie in medicina et astronomia legentem: Venetiis impendio Iohannis Colonic (!) agrippinensis Iohannisque mæthen gheretsen sociorum summa cum diligentia impressum fe-*

liciter finit anno salutis christiane .M.CCCCLXXX. sexto idus octobris. Laus deo. Cuius libri materia duplex est: continentur enim 720 capitula ab *Aaron* ad *Zucarum* dinumerata et ex variis opusculis excerpta, quo in numero sunt 'Diascorides' et *Avicenna*; quibus capitulis ad alphabeti ordinem minus severum digestis praemissae sunt et submissae glossae latinae, graecae, arabicae (ut *achiam .i. castoreum*, *Aagi .i. ebur*, *Aakade .i. bakade* e. q. s.). De tempore quo floruerit dudum docti verba attulerunt quae sub *Bruculus* leguntur: 'et ego vidi eos (h. e. *bruculos*) *Salerni* anno dominice incarnationis 1297.' Librum suum, cum *Roberto Siciliae* regi dedicaverit, non ante 1316 nec post 1343 edidit. Ceterum conferri possunt quae *E. Meyer* (*Gesch. d. Botanik*) IV p. 168 sqq. composuit et haec verba *Trithemii*: '*Matthaeus Sylvaticus* patria *Mantuanus*, genere nobilis, arte et professione medicus, in qua facultate suo tempore prae caeteris multis et doctus habebatur et expertus, ingenio subtilis et clarus eloquio. Scripsit in ea scientia non contemnenda volumina, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam deduxit. E quibus ego tantum vidi opus insigne ad *Rupertum Siciliae* regem et medicum de omnibus simplicibus medicinis et earum proprietatibus, quod praenotavit *Pandecta* lib. I, *Aaron* graece, arabice. De caeteris nihil vidi. Claruit sub *Ludovico Imperatore* 4. Anno domini 1320.'

CAPVT XX. DE MEDII AEVI STVDIORVM QVIBVSDAM ADIVMENTIS RECENTIORIBVS ET RECENTISSIMIS

§ 68. *Iohannes de Garlandia*, 'Anglia cui mater fuerat, cui Gallia nutrix', inter doctos grammaticos decimi tertii saeculi non infimum locum tenet: cuius tamen libros cum ad studia proprie glossographica non pertineant satis erit paucis tractare. Atque 'dictionarius' quem edidit 'dicitur libellus . . . a dictionibus magis necessariis quas tenetur quilibet scholaris non tantum in scrinio de lignis facto, sed in cordis armariolo retinere, ut ad faciliorem orationis constructionem et ad enuntiationem possit pervenire. Primo sciat vulgaria nominare. Licet igitur a membris humani corporis inchoare, rerum promptuarium evolendo' (cf. *Scheler*, *Jahrbuch für Roman. und Englische Literatur* Bd. VI p. 144, qui suae editioni etiam discrepantiam apud *A. Géraud* et *Th. Wright* inventam adscripsit). Secuntur hanc praefatiunculam 'membra humani corporis' a pedibus ad alias partes continuata; haec excipiunt 'instrumenta urbana et villana et rusticana corpori necessaria, sed prius nominabuntur res quas eundo per civitatem *Parisiis* denotavi' et sic deinceps alia. Opus sane utilissimum est rebus illius temporis illustrandis, item studiis recentissimae latinitatis et linguis romanis, sed a glossariis non

leviter differt; comparandum est potius cum vocabulariis rerum, quae Steinmeyer tertio volumini inseruit. Ex ceteris opusculis Iohannis commemoro 'compendium grammatices', 'de synonymis', 'de orthographia' ex parte versibus composita, quae cum libris Eberhardi Bethuniensis, Alexandri de Villa Dei non uno loco conspirant. Eidem Iohanni tribuitur libellus, qui in editione Hagenoensi anni 1489 'Cornutus magistri Ioannis de Garlandria' inscribitur. Cornutus autem duplex est: prior est Cornutus antiquus constans 21 'distigiis' (*a Cespitat in phaleris hippos blactaque supinus ad Atque crisis corde sit ei, bolismus in ore*) scholiis ornatis; alter est 'novus Cornutus' (*iste est liber secundus qui apud quosdam Cornutus novus nuncupatur. et alio nomine dicitur oximetrum, a Physis orexiam, peon allers horret orexim ad Et finit cornutus graphus non res qua solutus*). Quae 'distigia' latinitatem exeuntis medii aevi bene illustrant, ad studia vetustiora vix pertinent. Quod de 'distigiis' valet, idem de glossis dicendum videtur: 'die Etymologien', ut verbis utar Iohannis Liebl ('die Disticha Cornuti' Straubing. 1888 p. 29), 'sind die eines Papias, Hugutio, Ioannes de Ianua, Brito etc., teilweise noch stark verschlechtert'. Vocabula Gallica et theodisca idem Liebl p. 32 composuit. Auctorem 'Cornuti antiqui' non esse Ioannem de Garlandia Liebl p. 35 sqq. contra Hauréau (Notices et Extraits XXVII) mihi videtur evicisse.

Sed mitto Iohannem, mitto etiam Alexandrum Neckam qui simili modo de studiis illius aevi meritis est (de quo conferenda sunt quae R. Ellis 'Americ. Journ. of Phil.' tom. X, 2 docte exposuit), mitto alios eiusdem temporis scriptores notabiles, ut de glossariis quibusdam quae proprie dicuntur copiosius agam, quae quidem cum capite XV artiore vinculo coniuncta sunt. 'Ex Papia' (verbis utor Loewii Prodr. p. 249) 'Hugutione, Britone, aliis fontibus collectum est pergrande glossarium codicis Lipsiensis CI ['Rep. II fol. 22'] saec. XIV exeunte scripti foliorum 328.¹⁾ Glossarium non latinotautonicum est, ut Naumannus in catalogo dicit, sed potius lexicon mere latinum, cui multa adiecta sunt²⁾ vocabula germanica. Velut sic f. 100^r b: 'cuna -e- wiege -i- locus in quo iacent pueri, quod etiam crependium dicitur et dicitur a cyne grece.' Non paucis glossis nullum omnino interpretamentum germanicum adscriptum est. Principium fontium mentio fit velut f. 233^r b:

1) A litterae folii primi nihil restat nisi marginis interioria parvula pars. Incipit: 'pulvere supposito que alio nomine pynax dicitur', explicit f. 327^r b: 'zucarum ri idem'. Subscriptum habes versiculum: 'sit tibi laus, christe, quoniam liber explicit iste.'

2) Postea demum talia addita esse demonstrant huiusmodi glossae, velut f. 47^a b: 'arrigo . as . are . avi . benetzen. -i- valde vel iuxta rigare -i- humectare'.

'pepo onis pedeme: idem est quod melo onis dicit Hugo, Isidorus et Papias. Brito autem dicit: 'credo quod est herba quedam frigidissime nature et difficilis digestionis...'. Praeterea excitantur Alanus (f. 135^a), magister Bernhardus medicus (f. 137^b), Hugo de sancto victore (f. 48^b), Richardus de sancto victore (ibidem), alii multi. Interpretamenta vernacula nonnulla exscribam: 'plaster. maledien. missedae. argwillickeit. smeden. intbieden. mango: rostuscher, vnderkauffer vel mit-teler. vffenberlich. senfft mudeckheit. mantica: maele vel waetsack'.¹⁾ Ingentis voluminis glossarium qui factum sit ut in tantam molem cresceret non difficile est dictu. Vnaquaeque enim glossa e Pauli epitoma sive e libro glossarum per Vgutionis vel Papias rivulos illuc ducta novarum glossarum largam procreavit segetem. Sic quae olim e Festo excerpserat Paulus p. 32, 1: 'Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinare. Lucilius: haec inquit, te imbubinat, at contra te inbulbitat. Inbulbitare est puerili stercore inquinare, dictum ex fimo, quod Graeci appellant βόλβιτον', ea in codice Lipsiensi sic multiplicata exstant:

f. 68^a: *Bubino as are, pro quo alii dicunt bulbino as, vide infra.*

f. 68^b: *Bulbino .as. are. sanguinem puerorum inquinare et sunt activa, dicit Hugo. Et quandoque ponuntur passive, ut 'hic bulbinat' vel 'bulbitat' .i. tali sanguine inquinatur. Vnde bubinacio. onis .i. sanguinis menstrui inquinacio.*

Bulbitacio. onis. sanguinis puerilis inquinacio.

Bulbinacium .ii. sanguis mulieris menstruose.

Bulbinacium .ii. in eodem sensu dicitur.²⁾

Bulbinatus .a. um. sanguine menstruo maculatus.

Bulbitatus .a. um. sanguine puerili inquinatus.

En habes scholiorum Lucilianorum post tredecim fere saecula fata.

Ab Hugutione pendent etiam duo folia membr. bibliothecae gymnasii Francofurtensis ad Moenum saec. XV scripta. Columnarum quae vocantur divisio nulla, sed continua per integras paginas scriptura. Lemmata non diverso colore, sed lineola eodem quo reliqua scripta sunt

1) Post grande hoc glossarium adiectum est minusculum latinogermanicum f. 327^a—328^a med. Incipit: 'arra re: truwesthaft arrare: truwen mediante aliqua re arrabonis: .i. arra bona arrestare: bekummenen', explicit: 'vindicare: buten vendicatio: butunge viagium: bedevart'. Subscriptus est versus: 'Finito libro sit laus et gloria Xpo.' Cuius glossarioli lemmata ad rem iudiciariam maximam partem spectant et infimae quae vocatur latinitatis propria sunt. Cf. 'arrendare. allodium. castrenpheodus. concivilitas. deventagium. emologizare. emphiteotarius. exactionare. guarandia. gageria. manburnitas. perlamentum. subtervadiare. treugarius' similia.

2) Hae duae de *bubinario* glossae ad Placidum p. 13, 2 D. redeunt.

atramento picta insigniuntur. Folia a libri integumentis soluta dici nequit quam male habita sint. Alterius folii glossae inde a *dig-* usque ad *dir-*, alterius autem inde a *susp-* usque ad *talm-* pertinent. Derivationum indoles Osberni Panormiae simillima est, nisi quod scriptores rarissime excitantur, quo in numero bis speculi cuiusdam (num Vincentii Bellovacensis historici?) scriptor (f. 1^v: *Dyonisius: tyrannus de quo in speculo*; ibidem: *Dyonides, de quo in speculo*; *archipirata quidam fuit*) et semel Hugutio (f. 2^r v. taberna: *secundum hugo* = *secundum Hugutionem*). Locus inde excerptus hic est: *Tabeo bes bui est putrere, pigrere, deficere, confluere* (con litterae incertae sunt), *a quo contabeo, extabeo, intabeo: omnia neutra et carent supino. inde tabesco scis, unde contabesco, extabesco, intabesco*. Eiusdem bibliothecae duo alia folia item derivationes continent ... Derivationum materia petita est cum ex Isidoro (f. 1^v a: *strutio greco nomine ... fetu pulveris animatur. ita dicit ysidorus*) et Papia (f. 2^r a: *suillus .a. um id est porcinus a sue dicitur. Item secundum papiam suilli sunt e. q. s.*), tum maxime ex Ugutione (f. 1^v a: *stipulatio ... ita dicit hug* ...). Praeterea commemorantur Horatius (f. 1^r a: *spes utputa in epistolis oratii ...*), Alexandri doctrinale (f. 1^r a: *et tatas ... sed doctrinale negat*), Priscianus (f. 2^v b: *sed raro invenitur, dicit hug; sed secundum priscianum idem significant*). Haec igitur Loewe. Sed quicumque bibliothecarum thesauros accuratius noverit, eum non fugiet magnam molem talium glossariorum medii aevi exeuntis per Europam dispersam esse, quam diligenter examinare etiamsi vires non deficerent res esset taedii intolerabilis et utilitatis mediocris. Satis igitur sit exemplis paucis totam provinciam illustrasse.

Atque Carolus Hamann, a quo exordior, duobus libellis scholasticis ingens glossarium quoddam Benthemianum saeculi XV magno studio tractavit (cf. 1. Mitteilungen aus dem Breveloquus Benthemianus, einem handschriftlichen lateinischen Glossar des XV. Jahrhundert. Hamburg 1879. 2. Weitere Mitteilungen aus dem Breveloquus Benthemianus. Hamburg 1882): codicem diligenter descripsit (cf. 1 p. I sq.), de fontibus (1 p. III sqq.), denique de auctore (1 p. 7 sq.) disputavit. Haec excipiunt 1) 'Verwandte Glossen mit denen in Loewes Prodrömus (p. 1—17); 2) Glossen zur Ergänzung von Wattenbachs Schriftwesen im Mittelalter (p. 18—32). In commentatione posteriore tractantur XLVIII loci vulgatae quae dicitur; annexa sunt excerpta ex Hugucionis libro derivationum (quae supra p. 194 commemoravi). Quod sibi proposuit demonstrandum scriptor, scilicet etiam recentissima glossaria praebere supplementa uberrima classicae quae dicitur latinitatis, id eum effecisse ne Ludwigo quidem concedo (cf. Jenaer Literaturz. 1879 p. 276) sic disputanti: 'eine aufmerksame Durchsicht bestätigt, daß

dieses Glossar trotz seiner Jugend eine lohnende Ausbeute zur Bereicherung unserer Lexika klassischer Latinität gewähren wird. Ist dies der Fall, und nach dem vorliegenden Specimen scheint es nicht mehr zweifelhaft, so würde Loewe's absprechendes Urteil über die Glossarien aus dem späteren Mittelalter eine wesentliche Berichtigung erfahren. Es wäre deshalb wünschenswert, wenn bei gegebener Gelegenheit diese Frage auch in Bezug auf andere spätere Glossare noch einmal durchgeprüft würde.' Ipse enim Hamann fontes potiores huius glossarii p. III sq. composuit: quo in fontium indice sunt Iohannes de Ianua, Hugucio vel Osbernus, Guilelmus Brito, Papias, Isidorus, Ioannes de Garlandia, Eberhardus Bethuniensis, Alexander de Villa Dei, Alexander Neckam, Petrus de Riga, alii. Qui glossarium confecit minime indoctus fuit, multum certe versatus in thesauris qui tum valebant, hisque plurimis inter se vinculis nexis, saepius ut aegre dicas, a quo scriptore hoc vel illud transcriptum sit. Exstant quidem haud paucae quae ad antiquitatem aliquo modo revocari possint, sed ut ex illa lucem expectent, non ipsa lucem praebeant. In universum dici nequit quot ridiculi errores temporum decursu in hoc litterarum genere admissi sint, quos qui rimabitur verendum est ne carbones pro thesauro inveniat. Quamquam per se negari non potest fieri potuisse, ut granula nonnulla meliora e vetustate propagata in talia glossaria penetrarent, quorum non iam fons apparet: sed quae exstant cum et vetusta esse possint ac sana et novicia ac ficta sive corrupta, quis rationem proponet, qua vera a falsis, h. e. sinceræ ac vetustae doctrinae vestigia si quae sunt a noviciis et futtilibus ubique commentis dignoscamus? Quae exstant in his glossariis saepius ut audacter antiquitati tribuamus tantum abest, ut ne mediae quidem quae dicitur latinitati e scriptorum contextu nobis notae confidenter adscribamus. Quod quomodo se habeat ex ipsis illis glossis quas composuit Hamann optime discas: ubi quod est, ut unum ponam exemplum, *aquanellus a um qui fert saccum meretricis* quis diceret quid lateret, si non exstarent vestigia vetustiora: *aquariolus qui fert saccum meretricis* (cf. Diefenbachii glossarium); in *saccum* autem quid requirendum esset nemo divinaret nisi qui conferret glossam vetustiore *aquariolus idem scilicet servus meretricis eo quod crebro ferat aquam ad eam mundandam* (cf. Fest. Pauli p. 22, 12 M.). Talia monstra ac portenta mediae latinitati adscribemus? Vix hercle opinor. Quamquam saepe non meliora sunt quae Cangius ex fontibus suis protraxit: ad quae illustranda ars critica a vetustis glossis profecta viam invenire poterit; ab his ipsis qui progredi mavult ad antiquitatem, saepe in periculo erit, ne nubem amplexetur. Sano igitur iudicio thesauri linguae latinae conditores a talibus se abstinerunt.

Sed video me paulatim in ea tempora delapsum esse quibus lexica typis exscribi coepta sunt. Nova autem studiorum ratione coorta putares sane veterem illam interpretationis formam quae multa per saecula regnaverat abolitam esse atque funditus expulsam novis latinitatis thesauris conditis et scriptorum ipsorum lectione munitis: quae tamen te fallat exspectatio. Quamquam enim specimina quaedam sane notabilia prodierunt, ut Perotti cornucopia et Laurentii Vallae Elegantiarum libri, in universum tamen saeculo decimo quinto et parte proximi saeculi studia lexigraphica correctioni pertinaciter resistebant. Cuius rei causam afferre minime difficile erit. Viri enim politiores cum omnia latini sermonis studia ad stilum emendandum converterent, ut eminent sive prosa oratione ornanda sive versibus condendis, factum est, ut cupide arriperent quicquid ad has virtutes pertinere videretur, ieiunam autem operam vocabulorum ex scriptis colligendorum et in lexici formam revocandorum exploderent atque neglegerent. Itaque qui procuderunt talia opera aut scholiastas Vergilii, Horatii, aliorum excerpebant, excerpta in glossarii formam redigebant, qualia inveniuntur non pauca, velut illud Guarini glossarium, quod Mommsen ex codice Vaticano 2370 protraxit (cf. quae infra § 62 de hac re exponuntur), aut quae in vetustioribus glossarum collectionibus inventa sunt propagabant et ad recentiorum temporum usum aliquo modo accommodabant. Sic nata sunt vocabularia rerum, quae qualia fuerint ex tertio Steinmeyer volumine cognoscas, quorum materia saepe ad Isidori copias redit. Exemplaria nonnulla commemorat Diefenbach p. XIII sqq. Ad ea accedunt exemplaria vocabularii latinogermanici 'ex quo' quod dici solet, a primis scilicet praefationis verbis nuncupati, quae velut in codice Vindobonensi 5167 (a. 1428 ad finem perducti) sic currunt: *Ex quo vocabularii varii et autentici videlicet Hugwicio katholicon previlogus* ... (cf. Loewe Prodr. p. 253). Tertium est genus Gemmarum nomine insigne vel Gemma gemmarum, cuius inspexi exemplar Ienense anni 1504: latino interpretamento vernaculum, sed regioni huic vel illi aptatum subiungitur. Etiam horum exemplarium non pauca Diefenbach attulit. Omnes hos libros auctoritate vicit Vocabularius breviloquus: cui cum praemitti soleat in exemplaribus 'ars diphthongandi Guarini Veronensis', erant qui eidem Guarino adscriberent. Sed Reuchlini esse cum alii iam statuissent, Geiger evicit (Johann Reuchlin, sein Leben und seine Werke p. 68 sqq.). Quo de libro prorsus consentio cum Loewio qui Prodr. p. 252 sq. sic iudicat: 'Etenim quamquam ibi quoque multi scriptores excitantur, fundamentum tamen ut ita dicam totius materiae glossaria sunt: Papias nempe, Brito, Alanus, id quod auctor "vocabularii breviloqui triplici alphabeto diversis ex auto-

ribus necnon corpore utriusque iuris collecti ad latinum sermonem capessendum utilissimi” in praefatione ipse indicat his verbis: “. . . Licet vero Isidorus, Papias, Brito et Alanus aliique quamplurimi magistri satis de his tractaverunt, a quibus etiam hoc opus receptum est, attamen ob causam prefatam hoc opus presens aggrediar’. Agitur autem primum de nominibus, tum de verbis ceterisque declinabilibus partibus, denique de partibus indeclinabilibus, adverbii videlicet, praepositionibus, conjunctionibus, interiectionibus. De fontibus audiendus erit auctor (cf. verba ‘ex quibus etiam hoc opus receptum est’). Quod testimonium quo iure abiecerit Hamann p. IV, non assequor: nam quod ibidem adnotavit etiam glossarium Benthemianum ‘breviloquum’ fuisse appellatum (‘sub *ruta* exstat: *require supra in principio huius brevilogi*’), et codicem quendam Hamburgensem (de quo cf. Rasch, *Fortgesetzte historische Beschreibung der öffentlichen Kirchenbibliothek zu St. Jacobi, Hamburg 1755* p. 21 sq.) hanc habuisse subscriptionem: *Explicit Brevilogus per Thidericum in Zehusen anno domini millesimo quadricentesimo primo Dominica prima post Pascha qua canitur quasi modo geniti* (qui liber ubi nunc sit nescitur): hoc libro, non ut ipse dicat, Isidoro Papia Britone Alano, esse usum pro fundamento Reuchlinum, cuius liber anno demum 1575 vel 1576 prodierit: quid sic demonstretur de fontibus non intellego. Ex solo enim nomine eodem vel simili — modo *Brachilogus* legitur, ut in codice Darmstadiensi 2220 (‘*Brachilogus* et est non vilis vocabularius’: quod latine dicitur ‘*Breviloquus*’, pro qua forma frequens est forma hybrida ‘*Brevilogus*’) — non sequitur etiam lexeon convenientiam ibidem fuisse. Cum verbis supra allatis etiam subscriptio conspirat, quae in exemplari Ienensi (impresso ‘*Nurmberge. per Antonium Koberger. Anno dni MCCCXCVIII die XII mensis Iulii*’) talis est: *Finit Vocabularius Breviloquus triplici alphabeto diversis ex autoribus nec non corpore utriusque iuris collectus ad latinum sermonem capessendum utilissimus*. Quamquam quae Geiger p. 69 sqq. exposuit nullo modo rei satisfaciunt, ut qui neque de Papia nec de aliis glossariis illo tempore bene iudicare potuerit. Rectius certe disputat F. Heerdeggen (in *Muelleri enchiridio* p. 609): ‘Geiger . . . hat das selbständige Verdienst Reuchlins um den *Vocabularius breviloquus* doch wohl zu hoch angeschlagen, und zwar in Folge davon, daß dort zwar eine Vergleichung des *Vocabularius* mit Papias, nicht aber auch mit dem *Catholicon* vorgenommen ist.’ Adde quae antea Fridericus Haase de eadem re exposuerat (p. 35). Atque ‘errores si quis e *Breviloquo* colligere velit, res infinita est nec licet eo uti non adhibito simul Papia, Hugutione et Io. Ianuensi’ (Haase p. 36 adn. 60). Ceterum Reuchlinum esse lexicum auctorem ut aliunde constat ita e verbis apparet quae Loewe (*Prodr.* p. 252)

ex exemplaris Gottingensis ('Colonie Anno dñi MCCCCLXXVI' impressi) folio quod ipsi libri titulo praecedit verso exscripsit hisce: 'Commendatio Philippi Melanchtonis reverendissimi praeceptoris nostri super breviliquium vocabularium. Et his verbis sequentibus sic dicit. Eo tempore et fratres Amorbachii officinam typographicam instituerunt. Qui cum desiderari viderent Latinum *ὀνομαστικόν*, Capnio librum collegit cui titulus est breviliquus, qui tunc, cum nondum meliores libri in hoc genere haberentur, et expetitus est et studiis profuit' (quibus addit Loewe: 'Haec scripsisse videtur 'Meelführer', cuius nomen in libri fol. 1^r sub titulo exstat. Ceterum verba 'eo tempore' usque ad 'studiis profuit' legi etiam in vita Capnionis a Melchione Adamo scripta, ubi tamen habes 'qui hinc cum'). Quantopere hic liber 'expetitus' fuerit, documento sunt frequentissimae eius editiones, quarum quinta et vicesima anno 1504 prodiit; postea liber una cum reliquis medii aevi litteris ab iis qui pristinum linguae latinae nitorem restitui cupiebant ex usu remotus est. Ceterum haec exeuntis medii aevi lexica Laurentius Diefenbach exscripsit in 'glossario latinogermanico mediae et infimae aetatis' edito Francofurti ad Moenum a. 1857, quod 'supplementum' esse voluit 'lexici mediae et infimae latinitatis conditi a Carolo Dufresne Domino du Cange'. Conferendum esse moneo eiusdem viri 'Novum Glossarium latinogermanicum mediae et infimae aetatis' anno 1867 editum, quo librum priorem et correxit et supplevit. Quibus libris quam bene meritis sit auctor de studiis exeuntis medii aevi et latinis et germanicis sciunt periti; nec glossariorum investigatores hunc thesaurum neglegent: sed 'ad augendam integrae latinitatis scientiam et glossaria bonae notae cognoscenda' non multa inde redundare merito Loewe p. 253 professus est. Ab his quibus Diefenbach usus est medii aevi exeuntis studiorum asseclis mox deflexerunt lexicorum conditores, ut partim ad Nonios et Festos aliosque eiusmodi scriptores, partim ad ipsos auctores latinos bonae latinitatis testes potiores et locupletiores se converterent. Sic quae antea fundamenta lexicorum fuerant, nunc aut omnino e studiis cesserunt, aut si virorum doctorum curas denuo alliciebant, in supplementorum angulos abierunt, ex quibus obscura quaedam scriptorum vocabula lucem invenirent et notabilia testimonia quorum apud scriptores vestigia non exstabant exciperentur: neque certe quisquam acrius has reliquias a plerisque paene despectas pervestigavit et quasi in vitam revocavit quam ille princeps doctrinae et ingeniorum, cui nulla antiquitatis pars ignota fuit: Iosephus Iustus Scaliger.¹⁾

1) De Scaligeri studiis glossematicis olim disputavi (cf. Sitzungsberichte der Königl. S. Ges. d. W. a. 1888 p. 219 sqq.): a qua disputatione nunc non una in re dissentio.